

## QVÆSTIO XXVII.

*An, hac restitutio debeat necessario fieri, in utilitatem proprie fabricæ Ecclesie beneficij?*

**R**Espondeo, Quod non debeat necessario: sed possit fieri in utilitatem domus beneficij, in qua beneficiarius, vel alij, habitant, aut in emendis, vel meliorandis agris, ut fructus in perpetuum augentur: haec enim, sub nomine fabricæ, beneficij veniunt: non enim decretum dicit: *Fabricæ Ecclesie beneficij*. Sed *Fabricæ beneficij*. Sic Suarez lib. 4. cap. 30. numer. 19. Bonac. disput. 1. quest. 5. punc. 4. numer. 2. & penes ipsum, Vazquez, & Molfesius, Diana tom. 1. tractat. 12. Resol. 27. Trullench. lib. 1. capit. 7. dubit. 26. num. 2. Palaus disput. 2. punc. 7. numer. 11. Pellizar. tractat. 5. capite 8. sectio. 4. questio. 23. num. 226.

## QVÆSTIO XXVIII.

*An, Beneficiarius, qui Officium omisit, possit fructus insumere in adificationem alterius Ecclesie, vel reparationem bonorum alterius beneficij?*

**R**Espondeo, ut certum, quod non. Quia omnino restringitur à Concilio, & Pio V. ad fabricas beneficiorum. Sic Suarez lib. 4. cap. 30. num. 19. (non 9. vt leges apud Bonacin. & Trullench.) his verbis: *Omnino autem illa pars restricta est ad ipsa beneficia; itavit, non possint ex talibus restituendis alia templo, vel Ecclesia edificari, aut restaurari; nisi talis fabrica possit alia ratione, sub Eleemosynis pauperum comprehendendi*. Sic ille. Bonacin. Trullench. Pellizar. loc. cit.

## QVÆSTIO XXIX

*An, Beneficiarius, qui eligit, restitutionem fructuum pauperibus erogare; possit illam facere pauperibus cuiuscumque Ecclesie, vel loci?*

**N**egandum videtur. Quia quando eligit restitutionem facere fabricæ beneficij, nequit illam facere nisi Ecclesie proprij beneficij: ergo similiter in hoc casu, nequibit nisi pauperibus loci, in quo beneficium existit. Pro hac parte citat Corro, vbi infra, Aegidium Trullench. sed omnino male.

Sed probabilius, Respondeo. Posse illam facere, non solum pauperibus loci, in quo est beneficium; sed etiam aliis quibuslibet. Quia Pius V. absolute dicit, quod erogare teneatur, *in pauperum Eleemosynas*: nec addit, *pauperum, huiusmodi beneficiorum*; sicut addit quando loquitur de restitutione facienda in bonum fabricæ beneficiorum, dicens; *In fabricam ipsorum beneficiorum*. Sic Suarez loc. cit. nu. 20. Filliac. tractat. 23. capite 10. questio. 9. Molfes. cap. 5. numero 22. Quos sequitur Bonac. loco citat. numer. 3. Trullench. numero 4. Diana Resolut. 27. cit. Pellizar. & Palaus loc. c. t. Corro questio. 5. de Horis §. 4. n. 20. quamvis hic author, potius videatur sequi Aegidium Trullench. quem male pro opposito citat.

## QVÆSTIO XXX.

*An, si Beneficiarius ipse, qui debet restituere fructus sit verè pauper; possit eos sibi applicare?*

**N**egant aliqui Doctores: eo quod in decreto Concilij, & Pij V. clare dicatur, Beneficiarium omittem recitare, non facere fructus suos, sed eos tanquam iniuste perceptos, obligatum esse restituere: ergo nequibit illos sibi applicare, & retinere, quantumvis sit pauper.

Sed probabilius, Respondeo. Posse eos sibi applicare (saltem de consilio sui Confessarij) tanquam vni de pauperibus. Qui non debet esse ipie deterioris conditionis aliis pauperibus. Et quia in dicto casu, non tam sibi fructus applicat, quam Pontifex ipsi. Sic Nauar. de Orat. cap. 7. num. 34. & in Man. cap. 25. n. 123. (non 191. vt citat Palaus, num. 222. vt citat Trullench.) Suarez lib. 4. cap. 30. num. 20. & 21. his verbis: *Item bene Nauar. aduerit, si Clericus pauper sit, posse sibi met aliiquid in partem restitutioonis applicare; quia si ipse pauper est, illa est Eleemosyna, quam non tam ipse sibi, quam Pontifex per eum ipsem facit. Quia vero, difficile est rectum iudicium facere, circa se ipsum; ideo rectissime faciet, si prudentis Confessarij, vel alterius viri doctri, Consilio utatur*. Sic Suarez. Et benè. Sed non in hoc quod dicit, Nauarrum assertere, posse clericum pauperem sibi met aliiquid in partem restitutioonis applicare. Nam meus Nauarrus, non dicit aliiquid; sed absolute totum sibi applicare posse, clare innuit. Sic etiam tenent Lessius lib. 2. cap. 34. num. 173. Bonac. disp. 1. qu. 5. pun. 4. n. 8. Toletus lib. 2. cap. 12. n. 5. Palaus disp. 2. pun. 7. n. 12. S. Faustus lib. 2. de Horis quest. 295. Trullench. lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 26. num. 6. Villalob. tract. 24. diff. 17. n. 9. Sanchez lib. 2. consil. cap. 2. dub. 87. numer. 3. Diana 2. p. tract. 12. Resol. 27. Sà verb. *Beneficium num. 51. Filiiuc. Petr. Nauarra, Molfes. Nald. & Layman apud Bonacinam. Corro quest. 5. §. 4. num. 21.* Qui addunt, eadem dicta ratione, id extendi posse ad matrem, fratres, aut sorores; non solum si sunt mendici; sed etiam si necessariis ad decentiam personæ, & status careant. Legantur Diana loc. cit.

## QVÆSTIO XXXI.

*An, hac fructuum restitutio, possit fieri ipsis animabus Purgatorij; offerendo pro illis Missas, & alia suffragia?*

**R**espondeo, optime posse. Quia animæ existentes in Purgatorio, etiam indigentes, & valde, sunt. Sic Suarez loc. citat. numero 18. Bonacin, loc. citat. numero 4. (Qui tamen male citat Nauarrum in Man. capit. 25. numero 122. ) Diana Resolut. 27. citat. Palaus numero 11. Pellizar. tractat. 5. capit. 8. sectio. 4. questio. 23. numero 226. Hermanus libro 4. Sum. capite 2. dubitat. 2. artic. 2. Trullench. loc. cit. numero quarto. Filliac. tractat. 23. capite 10. quest. 9. numero 325. vbi sic ait: *Dico secundo, per Eleemosynam pauperum, intelliguntur etiam stipendia pro Missis data pauperibus sacerdotibus in satisfactionem offensæ Deo factæ non recitando Officium; vel profundatoribus beneficiorum. Item intelliguntur Eleemosyna pro suffragiis Defunctorum; nedum pro pauperibus viuentibus, &c.* Sic ille.

## QVÆSTIO XXXII.

*An, Beneficiarius, qui recitare omittit, posse recitare sibi fructus, quos titulo donationis, accepit à pauperibus, quibus tradere promiserat, sed de facto non tradidit?*

**R**espondeo, ut certum non posse. Quia huiusmodi Beneficiarius minimè fecit de facto restitutionem præceptam à Pontifice. Deinde, quia pauperes, quibus nondum traditi sint fructus, non habent ius certum, & firmum ad illos, sed vagum, ac incertum pendens à voluntate Beneficiarij, cuius est eligere, & determinare, cuinam velit restitutio nem facere: ergo pauperes prædicti nequeunt talem remissionem concedere; cum hæc debeat fieri ab eo, qui ius verum, ac proprium habet. Sic Bonac. disp. 1. quest. 5. punct. 4. num. 10. Quem citat & sequitur Pellizar. tract. 5. cap. 8. sect. 4. quest. 23. n. 228. Qui secus dicunt, casu, quo Beneficiarius de facto fructus tradidit pauperibus, qui postea, titulo donationis, liberè dederunt Beneficiario; quia tunc iste licite potest eos accipere, & retinere; cum pauperes tunc liberam habeant facultatem disponendi, & nullum præterea exstet ius id prohibens. Sic etiam Trul lench. lib. 1. in Decal. cap. 7. dubit. 26. num. 8. Bassæus tom. 2. v. Hora Can. IV. num. 3.

## QVÆSTIO XXXIII.

*An Restitutio fructuum pro omissione Horarum, suppleri posse, per quascumque Eleemosynas, quas ante, Beneficiarius, de fructibus sui beneficij, fecit?*

**N**egare videtur Diana par. 4. tract. 4. Resol. 220. in fine, quatenus ait, oppositum nimis laxum sibi videri. Sed immemor sui certè doctus Pater hoc dicat; cum in facti contingentia, fateatur, ab one re restitutionis, propter eleemosynas elargitas, sibi consulente quendam liberasse 3. par. tract. 6. Resol. 57. vnde,

Probabilius, Respondeo. Posse suppleri restitu tionem fructuum per Eleemosynas fructuum beneficiorum antea factas. Quia huiusmodi Eleemosynæ, cuiusdam anticipata solutionis rationem habent, Sic Bonartius de Horis lib. 2. cap. 11. n. 21. apud Dianam. Cui ego, vnum pro mille, addo, Suarium, videlicet, lib. 4. de Horis cap. 30. num. 21. vbi sic dicit: *Denique Eleemosynæ omnes, quas ex fructibus beneficij fecit, toto illo tempore, in quo non recitauit, ubicumque illas fecerit, poterit ut iam restitutas computare: quia nunquam illos fructus fecit suos, & eos tradidit quibus tradendi erant. Et ita non manet obligatus ratione rei accepta; quia illam apud se non retinet; nec ratione acceptationis; quia iam executioni mandauit pœnam, & restitutio nem per legem impositam.* Sic Sapientiss. Suarez. Sic etiam Corro quest. 5. de Horis §. 4. num. 20. ita contra Dianam scribens: *Quod hac restitutio fieri posse per Eleemosynas iam factas per Beneficiarium;* & sic quod hæc factas possit applicare pro omissione hodie facta, docent plerique apud Oliverium Bonarium, libro 2. capite 11. numero 21. quod nimis laxum (res mixta) videtur Dianæ 4. parte, &c. Sic Corro, & postea Pellizarius tom. 1. tractat. 5. capite 8. sectio. 4. questio. 24. num. 229. vbi ait, sibi videri probabile, quod suppleri possit, & liberari à restitutio ne ob

Eleemosynas pauperibus iam datas, dummodo talis restituendi obligatio, re vera contracta fuerit, ante elargitionem talium Eleemosynarum. Ratio inquit, est. Quia hæc videtur virtualis intentio monium facientium Eleemosynas, vt per eas satisfaciant omnibus obligationibus, quas suis peccatis, aut negligentiis contraxerunt: atqui hæc voluntas sufficit ad causandum voluntarium: ergo. Sic Sanchez tom. 2. consil. capite 3. (non 4. vt legi apud Pasqualigum) dub. 121. Pasqualig. decis. 455. per totam. Layman libro 3. tractat. 5. sect. 5. capit. 12. numero 9. Diana 3. p. tractat. 6. Resol. 57. quos omnes sequitur Pellizar. Trullench. libro 1. in Decalog. capite 7. dubit. 24. numero 18. Corro, de Horis quest. 5. §. 4. numero 19. & 20. Hermanus in Sum. capite 2. dubitat. 2. artic. 2. in fine, vbi ita ait: *Posse aliquando Beneficiarum excusari à restitutio ne, ob Horas negligetas, titulo pecuniae expensa (intellige post omissionem Horarum)* & si non isto intinitu, in pauperes, vel alios usus pios, censem Diana, & Layman (loc. cit.) esse probabile. Tum quod quidam Doctores ita sentiant: Tum quod videatur esse virtualis intentio omnium dantium Eleemosynas, satisfacere per illas omnibus obligationibus, quas suis peccatis contraxerunt. Tum quod leges Ecclesiastice benigne debeat explicari. Hæc Pater Hermanus, loquendo in specie questionis nostræ.

## QVÆSTIO XXXIV.

*An, etiam Pensionarij teneantur restituere fructus pensionis pro rata, si non recitant Officium parvum B. Virginis?*

**R**espondeo, ut certum: Teneri restituere, transfacto semestri à pensione obtenta; & quidem integros fructus perceptos correspondentes omissioni. Quia ad id obligantur in citata Bulla Pij V. Et cum non obligentur ad ullum aliud ministerium, præter recitationem, non habent unde excusat ut ab integra fructuum restituzione: iuxta dicta supra qu. 23. sic Palaus loc. cit. num. 16. ex Petro Nauarra Suatio, Bonacina, quos sequitur Pellizar. sect. 4. cit. quest. 25. num. 130. Qui bene notant, huiusmodi restitutio nem faciendam esse fabricæ beneficij, aut pauperibus, ea proportionaliter ratione, qua diximus teneri ipsos Beneficiatos.

## QVÆSTIO XXXV.

*An, Pensionarius non recitans, posse licite pensionem à Beneficiario accipere?*

**N**egandum videtur. Quia Pensionarius non recitans, est incapax pensionis recitandæ: ergo male faciet illam recipiens.

Sed omnino, Respondeo. Posse pensionem recipere non sibi retinendam; sed tradendam quibus tenetur: eo quod ex præcepto Ecclesiæ teneatur illam restituere, non Beneficiario, à quo illam accipit, sed fabricæ beneficij, aut pauperibus, quibus est applicata. Sic Suarez lib. 4. cap. 30. numer. 22. Palaus disp. 2. pun. 7. n. 17. Pellizar. n. 230. citato.

## QVÆSTIO XXXVI.

*An saltem, possit licite Beneficiarius denegare pensionem suo Pensionario, Officium paruum non recitanti?*

**A**ffirmabunt, qui existimant, non esse Obligatum Beneficiarum tradere pensionem Pensionario excommunicato, eo quod sit incapax illius. Atqui Pensionarius non recitans etiam est incapax pensionis: ergo. Ita aliqui Authores, & quidem probabiliter, ut innuit Suarez, ex illoque Pellizarius.

Sed probabilius Respondeo, Non posse denegare pensionem suo Pensionario non recitanti. Quia Beneficiarius habet obligationem trahendi pensionem in sustentationem Pensionarij; sicuti fideles Beneficiato fructus beneficij, in illius sustentationem, ut ipse pro illis oret &c. atqui isti non possunt denegare fructus beneficij. Beneficiario non Oranti &c. ergo neque iste suo Pensionario non recitanti. Sic Suarez, Palaus, & Pellizar. loc. cit.

## QVÆSTIO XXXVII.

*An ad minus, possit Beneficiarius in dicto casu, tradere ex se fructus pensionis pauperibus, vel fabricæ beneficij?*

**A**ffirmandum videtur. Quia tunc Beneficiarius nihil aliud facit, quam præuenire obli-

gationem ad quam tenetur Pensionarius omittens Officium.

Sed omnino Respondeo, Non posse. Primo. Quia Pensionarius in dicto casu potest petere à Papa aliquam compositionem, eamque sine magna difficultate obtinere, tanquam de restitutione non debita certæ personæ. Secundo, quia non ita facile constare potest Beneficiario, quod Pensionarius culpabiliter omiserit Officium, quo casu solum tenetur ad restitutionem. Sic ex Suario tenet Pellizarius *loc. cit. numer. 231.* & alij viri docti à se consulti. Addens *numer. 232.* quod si Beneficiarius in dicto casu distribueret fructus pensionis pauperibus, & peccaret contra Iustitiam, & teneretur ad restituendum illud lucrum, quod Pensionarius acquisiuit petendo compositionem de fructibus omissis ob omissionem Officij parui B. Virginis.


## QVÆSTIO XXXVIII.

*An restitutio, qua debetur ex omissione Officij, possit fieri ex aliis bonis, quam ex fructibus temporalibus beneficij, aut pensionis?*

**R**espondeo ut mihi fere certum: Debere necessario fieri ex fructibus beneficij aut pensionis. Quia id expresse statuitur in Bulla Pij V. ut diximus iam *supra quest. 15.* Legantur ibi dicta. Sic authores ibi citati, & Pellizarius etiam *tract. 5. cap. 8. sect. 4. q. ultima.*



# TRACTATVS IX. DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS, QVIBVS PRIMVM Decalogi præceptum violatur.



## DISPVTATIO PRIMA.

*De Superstitione modi indebiti colendi Deum.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*An, superstition, deriuetur à verbo, supersto?*

**A**ffirmat Cicero *lib. 2. de natura Deorum*, dicens, à verbo *supersto* deriuari, eo quod olim homines assidui erant in peccando, & immolando Diis, ut liberos relinquenter sibi superstites. *Qui totos dies immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitioni sunt vocati*, dixit ille. Et Lactantius Firmianus *lib. 4. de divin. instit. cap. 28.* dixit, deriuari à dicto verbo, eo quod homines, reliquit veteribus Diis, colerent loco illorum superstitionibus.

tem memoriam suorum maiorum. Legantur Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 43.* Fagundez *lib. 1. Decalog. cap. 34. num. 1.* Torreblanca *lib. 9. iuris spiritualis practicabilium cap. 1. à numer. 3.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 10. à num. 1.* Simancas *de Catholicis institut. tit. 6. 3. de superstitionib. numer. 1.* vbi ex Seruio ait sic: *A superstite superstitione dicta, quæ anicularum propria est, quæ multis per atatem superstites sunt: & quæ rebus inanibus additæ, dum volunt vidiri nimis religiosæ, superstitiones sunt, & ita desirant.*

## QVÆSTIO II.

*An recte definiatur superstition, quod sit, falsa religio, seu, cultus vitiosus, quo vel colitur creatura cultu diuino, vel Deus; sed modo indebito?*

**R**espondeo ut certe: Recte sic definiri, à D. Thoma ab omnibus recepto, *2. 2. qu. 92. art. 1.* Caiet. *quest. 93. art. 2.* & in sum. verb. *superstitione.* Lessius *lib. 2. de Iust. quest. 43. dub. 1. num. 2.* Martin del Rio

Rio lib. 3. Magic. cap. 2. Azor. 1. p. lib. 9. cap. 11. qu. 1.  
Sanchez lib. 2. Decal. cap. 37. num. 1. & cap. 38. num. 12.  
Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 34. numer. 1. Trullench  
lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 1. Thomas Tamburin. lib. 2.  
in Decal. cap. 6. §. 1. Castro Palao tom. 3. tra. 17. disp. 1.  
punet. 1. Sayrus in Clavi Regia lib. 4. capit. 4. Suarez  
tom. 1. de Relig. cap. 1. & 2. Bonacina tom. 2. sum. disp. 3.  
quest. 5. punet. 1. Torreblanca lib. 9. cit. cap. 1. num. 1. &  
aliij citandi.

## Q V A E S T I O III.

An, species superstitionis, sit quadruplex?

**R**Espondeo ut certum: quod sic. *Primà* namque est, quando Deo exhibetur cultus diuinus, sed modo indebito: & hæc appellatur *superstitionis* indebiti modi colendi Deum. *Secundà* est, quando cultus diuinus exhibetur creaturæ eam loco Dei adorando; & hæc appellatur *Idolatria*. *Tertià* est, quando homo petit à creatura auxilium, aut instructionem, quæ à solo Deo potest haberi, & ideo hunc diuinum cultum tribuit creaturæ, volens per ipsam instrui de præteritis, aut præsentibus, seu futuris: & hæc appellatur *divinatio*. *Quartà* est, quando homo in suis actionibus omittit dirigi à Deo, & petit ut dirigatur à creatura; & ideo ei diuinum cultum tribuit; & hæc appellatur *superstitionis* *vana observationis*.

Rursus, prima species superstitionis colendi Denm indebito modo, adhuc est duplex. *Primà* quando quistribuit Deo cultum falso, seu perniciosum, ut si eum nunc colat per ceremonias Iudaicas aut Maumehanas. *Secundà*, quando quis tribuit Deo verum cultum, sed superfluum: ut si eum velit collere, & honorare cæremoniis, quæ nihil ad Dei gloriam conferunt; ut si in Milla ynam, aut alteram Orationem adderet; aut illam diceret tali numero candelarum &c. Sic ex Augustino lib. 2. de doctrina Christiana & refertur in cap. illud 26. quest. 2. & ex D. Thoma 2. 2. quest. 9. 2. art. 1. docent Sanchez, Fagundez, Bonac. loco cit. & communiter aliij Doctores.

## Q V A E S T I O IV.

An peccaret mortaliter, qui hodie, ex lege veteri, aliquid in honorem Dei faceret; ut si vitulum Deo sacrificaret?

**R**Espondeo ut certum, quod sic. Quia suo facto, revera profiteretur adhuc esse veram sectam Iudaicam. Igitur, si quis hodie vitulum Deo sacrificaret; sabbata custodiret; filios circuncideret; & alia faceret, quæ in lege Moysi in cultum veri Dei fuerunt constituta, etiamsi id in honorem Dei faceret, vere peccaret mortaliter peccato superstitionis; nisi alias illum excusaret ignorantia inuincibilis, vt modo excusantur multi Athiopes, qui circumciduntur putantes se per hoc Christum imitari; quia sic instituuntur à suis Episcopis, & sacerdotibus, nec inquam contrarium audierunt. Sic Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 1. num. 3. & 4. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 1. & 2. Malder. de virtutib. Theol. tra. 10. c. 7. Thom. Tamburin. lib. 2. Decal. cap. 6. §. 1. num. 2. Torreblanca lib. 9. cap. 1. num. 7. & omnes.

## Q V A E S T I O V.

An, etiam sit superstitionis mortalis; in diuino Officio cantare, aut Organo pulsare, turpia, aut profana?

**R**Espondeo, Esse mortalem superstitionem, turpia, & profana inter diuina Officia admiscere, ad colendum Deum. Quia videtur coli Deus per cultum falso, & qui maxime deo displaceat. Imo etiamsi hæc quis non faciat ad colendum Deum, sed solum ad ipsum finem turpem, erit adhuc superstitionis mortalis. Quia præter scandalum, adest Dei iniuria, dum in Officio diuino, vbi colitur Deus, intermis- cetur materialiter, id per quod offenditur. Sic Sanchez lib. 2. summa cap. 37. num. 7. Tamburin. loco cit. numer. 3.

De qua materia etiam egimus supra tra. 8. disp. 6. question. 4.

## Q V A E S T I O VI.

An item sit lethalis superstitione, falsas Sanctorum Reliquias adorandas proponere; vel tabellas in templo; vel figuræ ceræ imagini Offerre, in signum falsi miraculi, aut falsi beneficij ab imagine accepti?

**N**egandum videtur, casu, quo id faciens, nil contra diuinum cultum machinari intendat; sed solum velit alios ad devotionem excitare, ut tali imagini offerant.

Sed ut certum Respondeo, Esse lethalem superstitionem. Quia per hæc facta, magna veræ Religioni infertur iniuria. Nec excusatio diuini potest à bona intentione propagandæ devotionis; cum potius hæc eo modo diminuatur, dum aperitur via ad vera neganda: præterquam quod Deus verus honorari mendaciis valde refugit. Sic Caiet. in sum. vers. superstition. cap. 1. Armilla numer. 2. Nauarr. in Man. cap. 1. 1. num. 27. vers. sexto. Sayrus lib. 4. cap. 4. nu. 4. Sanchez lib. 2. sum. cap. 37. n. 9. Tamburin. lib. 2. c. 6. §. 1. num. 4. & Fagundez lib. 1. capit. 34. num. 3. & aliij.

## Q V A E S T I O VII.

An deinde, sit mortale, miracula falsa predicare, aut typis mandare?

**R**Espondeo ut certum. Esse mortale. Quia talis actio, est cultus, falsus & perniciosus, veram miraculorum fidem eneruans. Sic Caiet. 2. 2. quest. 9. 3. art. 1. fine Sanchez, & Tamburin. loc. cit.

## Q V A E S T I O VIII.

An rursus, sit peccatum die Dominica ieiunare?

**A**ffirmant esse, ad minus veniale, eo quod tale ieiunium contineat cultum superfluum, Nauar. Caiet. & Sayrus, apud Sanchez loc. cit. n. 11.

Sed absolute Respondeo, minime esse peccatum nullum; nisi casu, quo id fiat in contemptum Resurrectionis Christi Domini, atque in confirmationem Manicheorum

Manicheorum hæresis sustinentis, illum non resurrexisse; quia tunc absque dubio esset grauissimum peccatum: aut alia circumstantia vitaretur, quia tunc esset veniale: ex se autem, nullum. Sic Sanchez, Tamburinus & alij citati à nobis 3.p. tract. 5. de Ieiunio disp. 7. quest. 20. Sic etiam Palaus tom. 3. tra. 17. disp. 1. punct. 1. num. 6.

## Q V A E S T I O X.

An, sint superstitione damnandi, qui Paschatis diebus, à carnibus abstinent?

**R**Espondeo: damnandos esse superstitione. Quia contra laudabilem vsum Ecclesiæ procedunt. Vnde à fortiori damnandi sunt, qui ex voto à carnibus, diebus præfatis abstinent; vel tribus diebus Dominicis ieunant ad tollendas tertianas. Nam hæc à Dæmone iubentur, vt homines grauius Deum offendant, & vt festiuos dies, quos summa alacritate debent celebrare, à carnibus abstinentendo violent, fingentes maiorem gratiam esse consequuturos. Sic Malderus de virtutib. Theolog. tract. 10. cap. 7. dubit. 2. Torreblanca lib. 9. cap. 2. à num. 10. Legantur Martin. de Arles de superst. num. 93. & Martin. del Rio lib. 3. Magic. p. 2. q. 4. sect. 2.

## Q V A E S T I O X.

An, Qui fingit se, esse aliquem Sanctum, v.g. Diuum Petrum, vt alios fallat; peccet mortaliter?

**R**Espondeo vt certum: Peccare mortaliter, si id serid ad decipiendos alios faciat. Quia re vera miracula falsa publicat, & ideo mortale facit, vt constat ex dictis quest. 7. secus esset si ex loco id faceret, & haberet intentionem, & animum, statim eos, quos sua fictione decepit, admonendi de suo loco, & de veritate rei. Sic Rocafull lib. 3. in prim. precep. Decalog. cap. 1. num. 7. Fagundez lib. 1. in Decal. capit. 34. fine, qui bene monent, abstinendum esse ab huiusmodi iocis, vt pote valde nocuus, & periculosus in materia religionis.

## Q V A E S T I O XI.

An, sit superstitionem, Zonā prægnantis pulsare campanam; vt sic prosperum obtineat partum?

**R**Espondeo vt certum: Esse superstitionem. Quia sonus campanæ, quantumvis factus per corrigiam, aut Zonam, qua prægnans præcinctitur, nullam vim naturalem habet ad talum effectum producendum: ergo si producitur, necessario est dicendum à Deo, vel dæmone præuenire: non à Deo, cum non fiat mediis ab ipso, vel ab eius Ecclesia institutis: ergo à dæmone: ergo &c. Sic ex Martino de Arles tract. de superst. numero 37. docet Torreblanca lib. 9. iuris spirit. practicab. cap. 2. numer. 3.

## Q V A E S T I O XII.

An, sit superstitionem, imaginem alicuius Sancti in flumen proiecere, aut in ripa ponere, pro obtainenda pluia?

**R**Espondeo vt certum: Esse superstitionem, & graue peccatum, contra religionem. Peccant namque id facientes in cultum Sanctis debitum, irrogantes Deo iniuriam, per irreuerantiam suis Sanctis. Sic Arles, & Torrebl. loc. cit. Trullench etiam lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 10. num. 8. & antea Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 40. num. 34. & meus Nauarr. de Orat. cap. 6. num. 46. ita dicens: Ex quo subinventur, Primo, malas esse processiones, & orationes, quarum Contarraneus noster perdoctus, ac pius, Martinus ab Arles, Archidiaconus Pampilonen. meminit, in quibus proiiciunt imaginem S. Petri, aut Sanctæ Felicitatis in flumen, donec pluat; aut in margine eius reponunt eam, ut intra spatum viginti quatuor horarum pluiani pro certo sperent, aut immergunt eam in flumine. Einmodi enim in aquas imaginis immersio, nec virtute naturali, nec institutione diuina, vel humana Ecclesiastica, talem effectum, scilicet, pluere tempore siccitatis operari potest. Sic Nauarrus, Bonac. disp. 3. quest. 5. pun. 4. numer. 13. Lopus in edictum Inquisit. p. 3. libro 15. dist. 3. diff. 2.

## Q V A E S T I O XIII.

An, superstitione sint Orationes, quibus sagæ benedicunt Rosaria, pro parturientibus, vel morbo laborantibus?

**R**Espondeo vt certum: Esse vanas, ac superstitiones. Quia huiusmodi orationes, nec virtute naturali, nec institutione diuina, aut Ecclesiastica, habent dictum effectum. Sic optime Nauarrus loco cit. num. 49. ita scribens. Quod iuste querat hic quispiam, quid dicemus de Orationibus, quibus sagæ benedicunt Rosaria pro parturientibus, & angina, aliore morbo laborantibus, immixtis verbis, etiam à se non intellectis, additisque ceremoniis superstitionis, halitus, suffitus, oscitationis, aliisque similibus reprobatis: Quid item de his, qui ad eiusmodi sagas, & incantatrices pro remedio salutis configunt? Quid queso? quam, vt rogemus Deum Opt. Maxim. vt supplendo negligentiam, si qua est, Prelatorum, ita eos, & eas castiget, vt errata sua agnoscant, & sibi persuadeant supremam illam diuinæ Maiestatis potestatem, & bonitatem infinitam esse fontem salutis, non solum spiritualis, sed etiam corporalis; & quod hec, in primis est per media naturalia procuranda, non sperando, neque desiderando intempestive nancisci eam miraculose; & cum illa defecerint, refugere ad gratuita Dei, per modos, & vias à Sacra scriptura, sacraque Dei Ecclesia, & ipsius Canonibus nobis præfixas: & non per prauas, & superstitiones à Cacodemoniis, & eorum ministris inuentas. Hucvsque piissimus, & deuotissimus Doctor. Quem sequuntur Sanchez lib. 2. sum. cap. 40. n. 35. Filliac. tract. 24. cap. 6. quest. 5. numer. 150. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 10. n. 8.

## Quæstio XIV.

*An sit superstitionum, dicere aliquos versus alicuius Psalmi, ad compescendos canes latrantes, aut cohibendum sanguinem è naribus profluentem, vel quemcunque morbum sanandum?*

**A**ffirmandum videtur. Quia talis recitatio, nec a virtute naturali, nec institutione diuina, habet infallibilem eff. Etum ergo si illum per talem recitationem infallibili credulitate expectes, à Dæmone expectare, per tacitam inuocationem, clare conuinceris: ergo superstitionis erit, qui ad compescendos canes latrantes, ac pene mūtos reddendos, illud Psalmi profert: *In chamo, & freno maxillas eorum constringe.* Et qui ad cohibendum sanguinem è naribus in magna copia profluentem, dicit: *libera me de sanguinibus Dens, Deus salutis mea &c.* Et ad compescendum morbum quemlibet illud Psalmi: *Diripiisti Domine vincula mea, tibi Sacrificabo hostiam laudis.*

Sed sub distinctione Respondeo dicendum, quod si quis dictos versus ex Psalmis desumptos, ad suam sanitatem, vel ad aliquid aliud sibi graue utile obtinendum, proferat deuote, cum pietate & fiducia; tunc licite proferet, nec talis versuum prolatione, superstitionis erit. Si vero dictos versus recitat cum credulitate infallibilis euentus; tunc superstitionis erit talis oratio. Sic Tamburinus lib. 2. in Decal. cap. 6 §. 1. à num. 40. usque ad 45. vbi sic primam partem nostræ responsionis probat. *Quia in Sacris ( ait ) illis verbis, seu rebus, dum speras, in Deo speras, ad quem confugere cum fiducia, Sacra nos scriptura semper docent.* Secundam verò partem, sic: *Quia cum prater Sacramenta, & Sacramentalia, nihil sit ex Sacris verbis, vel rebus, quod infallibilem habeant effectum; si tu illum ab aliis, sive per benedictiones inuocatiuas, sive per constitutiua expectes, non nisi à dæmone expectare per tacitam inuocationem conuinceris: aliunde enim expectare non potes.* Sic ille. Qui ex Suario lib. 2. de superst. capit. 15. numer. 26. & 27. & Sancio libro 2. sum. cap. 40. num. 44. fine, addit, aduertiturque facile posse quem in his euentibus superstitionem euitare, si videlicet. Ita illis verbis vtatur, vt eam credulitatem corrigat, solumque à Deo cum fiducia, non autem cum infallibilitate effectum præstoletur, seu ( vt ait Sanchez ) si vtatur illis verbis, non sperando certam salutem, sed per modum impetracionis à Deo.

## Quæstio XV.

*An sit alienum à superstitione, morbum caducum patienti, hæc ad aures dicere verba: O creatura Dei, niemento Creatoris tui?*

**N**egandum esse alienum, probatur: quia suspicio magna est superstitionis, adhibere verba secreto ad aures infirmi ad eum ab infirmitate alleuandum. Nam inter alia, quæ exorcistas suspectos de superstitione, ac pacto cum dæmone reddunt, vnum est ( vt ait Sanchez lib. 2. cap. 42. numer. 35. in fine ) si vocibus ignotis vtantur, & eas dæmoniacis ad aures dicant.

Sed clarius Respondeo, Non esse alienum à superstitione, si dicta verba ad aures patientis caducum morbum dicantur, ob vanum finem; vel, vt clam ea insufflentur; quia hæc ad aures insufflatio valde suspectum reddit de superstitione insufflantem, & clam verba dicentem. Si vero talia verba ad aures clam dicantur, vt morbum patiens illa audire possit, Deoque se commendare, ablata certi euentus credulitate; alienum erit à superstitione talia verba ad aures proferre infirmi. Sic Tamburinus lib. 2. in Decalog. capit. 6. §. 1. numer. 34. adiuncto numer. 48. vers. Pari modo.

## Quæstio XVI.

*An saltem, omnino sint superstitiones, qui ad aures equorum, dolorem intestinorum patientium, verba aliqua insufflant, & ad sanitatem reuocant?*

**R**espondeo ut certum: superstitiones esse omnino. Quia huiusmodi insufflatio ad aures equi, nequit corrigi, & moderari; sicuti potest insufflatio facta ad aures creaturæ rationalis, vt nuper diximus: superstitionis igitur erit semper. Sic Tamburinus loco cit. & Ignatius Lopus in edictum S. Inquisit. part. 3. lib. 15. dist. 3. diff. 4. Lessius lib. 2. capit. 43.

## Quæstio XVII.

*An sit superstitionum, dicere, aut prædicare; quod ille, qui in die S. Stephani Prethomartyris, pane & aqua ieunat, & rite confessus communicat; non moriturus ab alio occisus, etiam si multis ictibus impetratur?*

**R**espondeo ut certum. Superstitionem esse. Quia tale ieunium, nec ex ordinatione diuina, aut Ecclesiastica, nec sua virtute naturali ad dictum effectum viam habeat. Sic Tamburinus libro 2. in Decalog. capit. 6. §. numero 35. & 46. vbi sic scribit: *Ieiunium illud S. Stephani cum Communione peractum, frequentissime hic Panormi, præsertim apud viros nobiles usurpatur, sapientiæ à mescitati sunt, an superstitionem redoleat?* Respondi, maximam si infallibilitatem euentus expectent. Addidi esse plurium scelerum causam; siquidem ea credulitate ducti non pauci, temere peccatis habens laxant. Profecto aliquos ex his, qui prædictum ieunium, ceteraque quotannis nimis religiose custodiebant, vulneribus cecidisse, satis constans est fama. Quareve illis, qui ea spe fredi, peccatis commaculatam animam habere nihil laborant. Adhortor hos, vt Promontorium male spei, à Patre Paulo Zehentner eruditæ compostum, meditato legant. Si vero errorem corrigant, sperentque cum fiducia auxilium, quod Deo placuerit fore impariendum, superstitione, culpaque carebunt; quia nihil mali tunc Ieiunium: Confessio, Communio, sed plurimum laudis continebunt. Hucusque Tamburinus.

## Q V A E S T I O X V I I I .

*An*, sit superstitionis, credere firmiter, quod recitantes certas Orationes, vel illas secum ferentes; non sint morti subitanæ, vel alteri periculo subiecti; quin potius, bene fortunati?

**R**Espondeo ut certum: esse omnino superstitionis. Nam similes orationes ad dæmonem referuntur, vt constat ex ratione quæst. antecedenti data. Sic Nauarr. in *Man. capit. 11. numer. 34.* & de *Orat. capit. 19. num. 160.* per hæc verba: *Licet prædictæ et duo Orationes, Pater noster, & Ave Maria, sint excellentes, non tamen credenda sunt omnia, que illis aliquot libelli; & tituli conscripti, maiore temeritate, (ne dicam superstitione) quam Christiana discretione tribuunt, nempe, quod qui toties recitauerit illas, vel earum alteram, illo, aut illo die, vel loco, aut modo, erit bene fortunatus in contrahendo matrimonio, in gerendo negotia sua; felicem habebit successum; non morietur subito, non occidetur insidiosè; apparebit ei Virgo Maria; non peribit igne, vel aqua; aut ante obitum apparebit ei Virgo Mater, & alia id genus, que nulla scriptura authentica, nec ab ullo illustri, classicove Authore probantur.* Hæc & alia ibi, meus Nauarrus. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de Superst. capit. 15. numer. 9. & 10.* Lessius *lib. 2. cap. 43. dubitatio. 10.* Sayr. in *Clani Reg. lib. 4. capit. 6. num. 8.* D. Anton. Siluest. Tabiena, Arnilla, & Ciruelo, quos omnes citatos sequitur Sanchez *lib. 2. capit. 40. num. 20.* Bonac. *disp. 3. quæst. 5. punct. 4. num. 11. vers. Quinto Filliuc. tract. 24. cap. 6. q. 3. n. 142.* Tamburin. *lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 27.*

## Q V A E S T I O X I X .

*An*, sit superstitionis, deferre ad collum Sacra quatuor Euangelia, aut unum eorum vide licet, S. Ioannis?

**N**Egat absolute Lopus in edit. Sanctæ Inquisit. part. 3. lib. 15. dist. 4. art. 3. difficult. 1. Quia *Quemadmodum licitum est* ( inquit ) *Euangelia super infirmos ore proferre: ita licitum est, secum deferre Euangelia, & ad collum suspensa habere.* Ita ille. Et licet bene,

Clarius, & melius Respondeo, Minime esse superstitionis, Euangelia Sacra ad collum suspensa habere; sed potius licitum sic illa portare, vt pro sint viuenti alligata, maxime à maleficiis præseruando, vt bene ait Lopus ex Jacob. Spreng. in *Malleo Malefic. p. 2. qu. 1.* Hoc tamen intelligendum est, dum tamen in illis suspendendis, & ligandis, non misceantur aliquæ circumstantiæ vanæ: veluti, quod sint scripta in charta virginea, aut quando sol oritur, aut quando legitur Euangelium; vel quod debeant tot sigillis ligari, & à puella Virgine, aut quod à nemine videatur, & alia similia, quæ neque ad laudem Dei, neque ad alium effectum naturalem, vel institutum deferuiunt. Sic, ex D. Anton. S. Thomæ, & Martino ab Arles, tenet, & docet Nauarr. in *Man. capit. 11. numer. 35.* & *capit. 6. de Orat. numer. 49.* Raphael dela Torre *tom. 2. de vitiis opposit. Relig. question. 69. art. 4. disput. 1.* Torreblanca *lib. 9. capit. 3. numer. 3. & cap. 5. numer. 19.* vbi idem docet, deportantibus Reliquias Sanctorum vel versum aliquem Psalmorum, non ex deuotione tantum, sed adiunctis vanis circumstan-

tiis, vt sunt à nobis relatæ. Legatur Martin. del Rio *lib. 3. Mag. p. 4. sect. 8. q. 4.*

## Q V A E S T I O X X .

*An*, sint superstitiones Orationes illæ, que à colligentibus herbas, ipso die S. Ioannis Baptiste, ante solis ortum dicuntur?

**R**Espondeo ut certum: Esse superstitiones, sic illas dicentes credant firmiter, nec suas orationes nec herbas, post solis ortum collectas, vills vires, aut efficaciam habituras. Quia certe vanis omnino circumstantiis vestiuntur. Sic Nauarr. de *Orat. cap. 6. num. 47. versu. secundo*, Qui bene aduertit, non ideo esse illicitum colligere herbas ad curandum, dicendo aliquas Orationes, nempe Orationem Dominicam, aut Symbolum, eo die, aut quoquis alio; quinimo salubre esse, secundum decretum Martini Papæ in quodam Concilio, relatum in *cap. Non liceat 26. quæst. 5.*

## Q V A E S T I O X X I .

*An item*, superstitionis sit, recitare quasdam Orationes, nocte S. Ioannis; vt sibi manifestetur, cui quæ nuptura sit?

**R**Espondeo ut certum: Esse superstitionem: si cuti est, ob eumdem finem, applicare nocte illa auditum, credendo nomen quod primò vocari, audierit; esse illud viri in matrimonium ducendi. Ratio est: quia talis oratio, etiam nocte illa habita, nullo ex capite ad hunc effectum vim habere potest, vt constat. Sic Lopus *lib. 15. cit. dist. 4. art. 4. difficult. unica. Tamburin. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. num. 27.* & antea Sanchez *lib. 2. sum. cap. 40. num. 19.* ita scribens: *Ad hanc superstitionem vana observantia ad aliquid prædicendum, pertinet, quod quedam muliercula nuptiarum auida, solent efficeri; nempe, recitare nocte D. Ioannis Baptiste, ut eis manifestetur, cui nupture sint: applicareque simul auditum solent, credentes nomen, quod audierint, fore earum viri nomen.* Et similiter, quod eadem efficiunt; recitant enim anima deserta dirigentes preces in aurora primo aspectu dies S. Ioannis Baptiste, ut virum, cui matrimonio iungenda sunt, reuelet: quia hæc vana sunt, nec ad id vim habentia. Hæc Sanchez.

## Q V A E S T I O X X I I .

*An* sit superstitionis, obseruare dies, quasi quidam sint fausti; vt dies Ionis; quidam infausti, vt dies Martis?

**N**Egare videtur Campanella, *tit. de diebus faustis, & infastis*, vbi ait; quosdam dies semper extitisse sibi infaustos; & esse ex se tales, vt notat Cartena *tract. S. Officij p. 2. de Sortileg. tit. 12. numer. 120.* Deinde addit, Familiam Mendozinam in Hispania, à S. Inquisitione obtinuisse priuilegium, ne die Martis, qui apud ipsam habetur infaustus, teneatur aggredi opus aliquod. Refert huius Authoris placitum, ac dictum, Lopus in edit. Sanctæ Inquisit. 3. p. lib. 15. dist. 6. art. 1. diff. 4. pag. mibi 285.

Sed vt certum Respondeo, Esse superstitionem. Quia certum est, nullum diem, faustum, vel infaustum,

sum esse ex se , & ex natura sua : sed omnino esse accidensale , quod aliquis sit faustus , vel infastus. Probatur Primo tum , ex illis verbis Apostoli ad Galat.4. Dies obseruatis , & tempora , & menses , & annos ; timeo vos ne frustra laborauerim in vobis. Tum etiam ex Sacris Canon. cap. Non licet 26. quæst. 2. cap. Non obseruetis , ead causa q. 7.

Secundo. Quia si aliquis dies , ex se , esset infastus , aut faustus , plane sequeretur manifesta contradictione , nimurum , quod dies faustus , esset infastus , & è contra : patet ; quia dies fausti , apud unam Nationem ; sunt infasti , apud alteram : nam dies Luna est infastus , apud Hebreos ; quia existimant in eo natum fuisse Cain : Dies Mortis , apud Athenienses : dies Mercurij apud Medos : dies Iouis apud Frigios : dies Veneris apud Troianos : & dies Saturni , apud Persas : igitur quilibet dies est infastus respectu alicuius Nationis : ergo si aliquis eorum est faustus apud aliam , iam esset simul faustus , & infastus : ergo ex se , aut ex natura sua , neutrum habet.

Nec verum videtur , quod ait Campanella , nimurum , familiam nobilissimam Mendozorum , habere præilegium relatum , à Sancta Inquisitione quia hæc non cogit quemquam ad aggrediendum : opus potius uno die , quam altero ; & qualibet die integrum est cuiquam opus incipere ; quare dicta familia nulla egebatur ad hoc licentia , & ideo falsum est illam habere , vt bene notat Lopus loc. cit. Sic igitur tenent omnes Theologi cum D. Thoma 2.2. quæst. 95. art. 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. capit. 2. Nauarr. in Man. cap. 11. num. 38. Ciruelo de superstit. 3. p. cap. 6. Sanchez lib. 2. sum. cap. 40. num. 15. Torreblanca de Magia lib. 1. cap. 27. & lib. 9. iuris spirit. cap. 8. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dubit. 10. numer. 14. Tamburin. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 17. Simancas de Catholic. Institut. tit. 6. 3. num. 6. vbi ad id probandum adducit multa Patrum testimonia , inter quæ unum sit Chrysostomi , qui in oratione Kalendis habita , sic inquit : Dies bonus , & malus est , non sua quadam , & propria natura ( nihil enim dies à die differt ) sed nostra , vel negligencia , vel ignorantia . Si iustitiam feceris , bonus tibi dies erit : si peccatum designaveris , malus , & supplicio plenus . Sic ille.

## Q V A E S T I O   XXIII.

An , superstitiosi sint illi , qui festiuitates S. Vincenty , S. Urbani , & Conuersionis Sancti Pauli obseruant ; ut cæteros anni euentus coniectantur ?

Affirmant multi Doctores , docentes con querter , superstitiosos esse versus , quos ad effectum prædictum cognoscendum , quidam fecerunt ; sunt autem hi .

Clara dies Pauli , bona tempora denotat anni .

Si nix , aut pluния , designat tempora cara .

Si fuerint venti , designant pralia genti .

Si fuerint nebulae , pereunt animalia quaque .

Ita tenent Binsfeldius de Confess. Maleficor. de causis ad maleficia disponentibus causa 3. Martin. del Rio , disquis. Magic. lib. 3. part. 2. quæst. 4. seft. 6. Campanill. Rubr. 11. cap. 26. num. 99. quos sequitur Torreblanca lib. 9. iuris spirit. practic. cap. 8. n. 35.

Sed probabilius Respondeo , Primo Minime esse superstitiosos in rigore , dictos versus , nec minus , qui illos obseruant ad coniectandum cæteros anni euentus . Cum nihil contineant , contra cultum debitum Sanctis ; nec Dæmonis pactum , in se ipsis

involuant . Sic Lopus part. 3. libro 15. dist. 6. art. 1. difficult. 6.

Respondeo tamen Secundò , tanquam quid certum ; tales versus , & illos obseruentes , esse omnino vanos , nulloque nisi fundamento . Patet . Quia si dictus S. Pauli dies anni qualitatem prognosticat , vel hoc præstat , qua Sanctus est , vel qua naturalis , ex cœlorum cursu , stellarumque occursu & concursu : atqui non præstat , qua sanctus est ; quia Sanctitas diei aut cultus illius , nullam anni prognosticationem impertit , vt constat : nec qua naturalis est ; quia , si ex cursu cœlorum , vel occursu & concursu stellarum facienda foret prognosticatio totius anni ; cura quotidie habeatur aliquis cursus , occursus , & concursus , non esset magis prognosticus totius anni unus , quam alias dies . Vnde placet dicere , hos versus , non fundari in Astrologorum placito ; sed in vocibus popularibus , quæ vanæ sunt , minimeque attendendæ . Hæc Lopus , loc. cit.

## Q V A E S T I O   XXIV.

An , saltē sit superstitionis , dicere ; prognosticare posse , quemlibet anni mensem , iuxta qualitatem primorum dierum duodecim mensis Ianuarii ?

Affirmat Torreblanca loc. cit. cap. 8. numer. 11. vbi docet , superstitiosos esse illos , qui obseruant dies dicti Cabanuelas , nempe primos duodecim dies Augusti , vel Septembri , vt ex eis singulos anni menses coniectantur : nam cum illis causa naturalis non subsit , nec diuina ; superstitiosa est , & damnata in illis verbis Apostoli ad Galat. 4. Dies obseruatis & tempora &c.

Sed iuxta nuper dicta Respondeo dicendum , quod minime sint superstitiosi , sed vani obseruentes tales dies in prognosticationem mensum totius anni . Quia eadem currit , in hac , ac in antecedenti difficultate , ratio . Sic Lopus loc. cit.

## Q V A E S T I O   XXV.

An , obseruatio dierum Criticorum , sit superstitionis ?

Respondeo vt certum : Non esse superstitionem obseruantiam dierum Criticorum , circa corporum infirmitatem : quia pendet à re naturali , vide licet , à natura humorum , vt docet praxis . Pro quo sciendum est , quod Medici vocant dies Criticos , illos , in quibus de morbi ratione iudicium ferre possunt , qui quidem sunt impares , inter quos , potissimi sunt quintus , septimus , undevicesimus , in quibus si natura confortatur , fit iudicium de futura sanitate , si vero deterioratur , de morte proximè futura . Sic Lopus part. 3. lib. 15. dist. 6. art. 1. diff. 2. Qui notat secus dicendum de obseruantia dictorum dierum Criticorum respectu adeundæ hæreditatis , aut villæ , qui olim obserabantur , vt solum dictis diebus Criticis adire posset ; quia ista tanquam superstitione penitus sublata est , vnde nunc temporis tam die Critica , quam non Critica , vt sexta , octaua , decima &c. hæreditas adire potest . Ita ille .

## Q V A E S T I O

## QVÆSTIO XXVI.

*An, obseruatio dierum Lunæ pro rebus natura-  
libus conservandis sit licita?*

**R**espondeo ut certum: licitam esse omnino. Quia ad hunc effectum esse necessariam Lunæ dierum obseruantiam, praxis docet. Vnde ab omnibus obseruantur pro secundis lignis, ne vermis rodantur, diutiūque durent: pro colligendis fructibus, ne breuiori tempore marcescant: pro Sanguinis vena secanda, ne diminutio Sanguinis noceat &c. Sic communis. Lopus loc. cit. difficult. 5. licet quoad obseruantiam respectu diminutionis Sanguinis, aut alterius euacuationis, oppositum sentiat Torreblanca cum multis aliis lib. 9. cap. 8. à n. 36. Legatur.

## QVÆSTIO XXVII.

*An, etiam sit licita obseruantia dierum Cani-  
cularium, pro diminutione Sanguinis, & sum-  
ptuone medicina &c?*

**R**espondeo ut certum: etiam esse licitam. Quia sic praxis Medicorum docet; qui in illis diebus, tam à secunda vena, quam à potionē danda omnino cauent; nisi grauis necessitas vrgeat. Incipiunt autem dies Caniculares, secundum aliquos, à pridie Idibus Iulij, & finiuntur pridie Idib. Septembri. Secundum vero alios incipiunt, decimo quarto Kalend. Augulti, & sunt septuaginta duo, vt ait Sacerdotale Roman. part. 3. tratt. 2. cap. 4. Secundum alios denique, incipiunt, die decima septima Iulij, & perseuerant præcisè quadraginta diebus, vt ait Selua var. leet apud Lupum loc. cit.

## QVÆSTIO XXVIII.

*An, Obseruatio anni Climacterici, v.g. Saxage-  
simi tertij, sit superstitionis?*

**A**ffirmat Picus Mirandulan. lib. 6. aduers. Aristot. cap. ultimo. Sed ut certum Respondeo, Non esse superstitionis, sed fundatam in oratione naturali. Quia anni Climacterici, seu (quod idem est) periculosi, intrinsece habent in se specialem vim immutandi, seu alterandi corpus humanum; nisi impedianter ab aliqua causa: ergo immutatio, qua in dictis annis contingit, absolute est naturalis: ergo eorum obseruatio, in ratione naturali fundatur; ergo non est superstitionis. Antecedens probant late Arithmeticci, Astrologi, Medici, & experientia. Legatur Lopus loco cit. art. 2. diff. 1. cum quo nota, quod anni Climacteri, sunt omnes, & singuli septenarij; nam in quolibet eorum, natura mutationem in corpore humano facit; interdum ad morbum, interdum ad sanitatem pro ratione cuiusque temperamenti. Inter septenarios autem, tres sunt præcipui Climacterici nimicū, quadragesimus nonus, quinquagesimus sextus, & sexagesimus tertius, qui adhuc respectu horum, est præcipuus.

*R. P. Leand. in Decalogum.*

## QVÆSTIO XXIX.

*An, colligentes herbas in festo S. Ioannis Baptis-  
tæ, credentes, maioris esse efficacie ad san-  
tatem tribuendam, sint superstitionis?*

**A**ffirmat absolute Torreblanca lib. 9. Iur. spirit. capit. 8. numer. 32. & penes ipsum, D. August in Enchrid. cap. 79. Ciruelo de superst. p. 3. c. 11. Binsfeld. in Confess. Malefic. prælud. fin. & Reginald. tom. 2. lib. 17. cap. 18.

Sed clarius Respondeo dicendo, quod vere sint superstitionis, si id existimant, eo quod dies talis Sancti sit, quia certe Sanctitas illius diei nullam specialem efficaciam tribuit herbis ad effectum consequendum, vt in simili diximus question. 2. 3. secus vero, si id credant, eo quod tunc temporis maiorem vim naturalem flores, aut herbae habeant, quia tunc minime superstitionis censerunt. Sic Tamburinus lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. num. 65. his verbis: Colligere herbas tali die, ad aliquem effectum, fateor persape esse superstitionis: v.g. nocte S. Ioannis, die Sabbati Sancti &c. Si non est in illius mysterijs renervatum: Et tamen aliquando esse quid naturale, vt potentior sit virtus herba collecta in aquinoctio, quam in Solstitio, vere, quam hyeme &c. quando, scilicet, herba est in incremento, non vero in decremento virtutis, vel quid simile, negari non potest. Hæc Tamburin. Pat. Hermannus in Medulla Theolog. moral. lib. 3. tratt. 1. de primo præc. cap. 1. dubit. 4. Sic dicens: Superstitionis non est, obseruare Lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, v. g. die S. Ioannis Baptisæ, purgandis corporibus, cedendis arboribus &c. Legantur Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 10. num. 7. & 14. Sanchez lib. 2. sum. cap. 40. num. 17.

## QVÆSTIO XXX.

*An, sit superstitionis, sentire, aut credere, quod  
ros, que colligitur nocte S. Ioannis; potiorem  
habeat vim ad sanandam scabiem rore, aliis  
collecta noctibus?*

**R**espondeo ex nuper dictis; non esse superstitionis, si credatur id euenerere, non quia colligatur nocte S. Ioannis; eo quod Sancti Ioannis sit; quia ex hac parte talis nox nil naturale influit in rorem; sed quia ros ipsa potius una nocte, quam altera, potest esse salubrior: quod quidem contingere potest nocte S. Ioannis Baptisæ, cum Sol sit reductus ad stationem suam, hoc est, ad perfectum respectu nostri, nempe, ad Zenit, vbi magis diametraliter, quam usquam fuerit anno illo, nos (quatenus est ex parte ipsius præcise) fortius beneficat, & salubrissimum rorificat. Ex quo fit, quod quædam plantulæ ante Solis ortum collectæ, redundunt, virtuosiores: aliae vero contra reperiuntur meliores, si colligantur, orto iam Sole, pro herbarum, plantarumve qualitate diuersa, quod potissimum die, qua Sol est in Solsticio contingere potest. Sic Lopus libro 15. dist. 3. art. 1. diff. 2.

F

QVÆSTIO

## Q V A E S T I O    XXXI.

*An, sit superstitionem, credere, quod oua Gallinæ orta in die Parasceue; specialem vim habent, ad extinguendum ignem, si in ipsum iniiciantur?*

**N**egant nonnulli Doctores, apud Martinum Delrium part. 2. lib. 4. qu. 4. sect. 6. existimantes, oua orta tali die, prædictam habere vim.  
Sed omnino Respondeo, Esse quid superstitionem. Quia oua Gallinæ orta die Parasceue, non habent maiorem vim, aut virtutem, ad extinguendum ignem; quam oua orta aliis diebus: at hæc minimè habent virtutem ad extinguendum ignem: ergo neque illa. Maior probatur: quia si haberent maiorem vim, vel esset ex parte Gallinæ; vel ex parte diei; vel ex parte deuotionis Agentis. Non ex parte Gallinæ, qui a huic nullam specialem virtutem, pro die Parasceue, communicauit natura; cum dies ille sit mobilis, & variabilis, ipsa vero natura inuariabilis, & ad vnum determinata. Neque ex parte diei, qua Sanctus est: quia si vis aliqua Sanctitati diei, adscribenda est, etiam esset adscribenda ouis Gallinæ ortis diebus Natalis Domini, aut Resurrectionis, aut Pentecostes &c. Nec tandem ex parte deuotionis, aut bona fidei agentis; quia quamvis hæc excusat à peccato, non tamen facit, quod habeat vim id quod de se non habet. Sic Lopus loc. cit. & ante Delrius loc. cit. Sanchez lib. 2. sum. cap. 40. num. 16. Tamburin. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. num. 27.

## Q V A E S T I O    XXXII.

*An, sit superstitionem, certis diebus determinatis, Scopis tangere olera, ne à vermis ladanuntur; Nolle die veneris vngues præscindere: Pnella nullo die Sabbati nere?*

**R**espondeo, Esse superstitionem. Quia primum ea virtute caret: cætera vana mere & inutilia sunt. Sic Sanchez numer. 16. cit. ita scribens: *Atque huius superstitionis diaria rei sunt, certis diebus olera scopis tangentibus, ne à ciniphibus, erucis, aut aliis insectis ladanuntur. Item nolentes die veneris vngues præscindere, vel die Sabbati nere in honorem B. Virginis; cum tamen alia seruilia tunc exerceant. Item maiorem vim tribuentes aqua, qua Dominicis post quatuor tempora benedicitur, quam benedictæ alii Dominicis, ad quosdam effectus &c.* Sic ille. Delrius, & Tamburin. loco cit. num. 27. Qui addit, *Etiam esse superstitionem, Orationes Sacras recitare, vel scriptas gestare, quibus à mannum violentia, vel ab aliis malis liberari beneque fortunatos fore se credant. Deinde, lusores locum, seu lusoriarum cartas mutare; vel tantis persurgere, ad malam ludi fortunam aduertendam. Gallinam Gallorum more forte cantantem, uti infortunij portentum occidere, & alia (inquit) similia; quamvis mere vana, & inutilia, nullaque grauorem superstitionem continentem; que si certo credantur, vel si semper adhibeantur ad vitam dirigendam cum periculum subsit, ne demon se illis certo intermisceat, erunt mortalia: at si semel, aut iterum, non ita. Sic ille. Ex Sanchez lib. 2. cit. n. 21. Torreblanca lib. 9. cap. 2. num. 21. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 4. numer. 12.*

## Q V A E S T I O    XXXIII.

*An, sit superstitionem, die S. Ioannis Baptiste, aliquam arborem scindere; & per eam sic scissam, ter transire laſos pueros, ut sanitatem recipiant?*

**N**egandum videtur. Quia, vt mihi hoc anno nonnulli retulere, experientia, qua veritatis est magistra, sæpe sèpius id facienti demonstravit.

Sed vt certum Respondeo, Esse superstitionem, & sic facientem peccare grauiter, nisi bona fides, aut ignorantia eum à peccato liberet. Quia arbor sic scissa, ex se nullam vim habet ad sanandos laſos pueros, vt est notum; nec illi hanc virtutem tribuit Sanctitas diei B. Ioannis, vt ex dictis constat: ergo si hoc aliquoties accidit, potius ex inuocatione tacita dæmonis accidisse, quam ex vi arboris scissæ, credendum est. Sic tenet Nauarrus in Man. capit. 11. num. 32. vbi docet, *Illum peccare mortaliter, qui ob sanitatem alicui restituendam, aliquid applicat, quod nulla virtute pollebat ad sanandum; veluti (inquit) cingulo metiri, vimen findere, aperire arborem, vrinam supra certam herbam emittere, lienis morbos secare, nisi propter ignorantiam excusetur.* Sic Nauarrus.

## Q V A E S T I O    XXXIV.

*An superstitioni censendi sint Confratres S. Marci Euangelistæ, qui in eius festiuitate Taurum ferociissimum vocant, & innent illum, ut in Ecclesia tanta festiuitati mansuete assistat?*

**N**egandum videtur: eo quod multis in Hispaniæ locis id efficiunt, scientibus, nec contradicentibus Parochis, aut aliis superioribus Prælatis: ergo &c.

Respondeo, Esse superstitiones; quamvis eos à peccato graui excusat bona fides, & tolerantia Prælatorum. Primam huius responsionis partem tenet Torreblanca lib. 9. iuris spirit. cap. 2. num. 7. his verbis: *Tertio ad hanc superstitionem referre non dubito, abusum Confratrum S. Marci oppidi de la Brozas, qui in eius festiuitate à primis vesperris (sic lege, ) petunt in agrum, & inuent Taurum ferociissimum, ut deposita senitia, cum eis vadat, & tanta festiuitati assistat: qui iussis obtemperans, ita facit, vt pueri & feminæ ad eius cornua ferta florum suspendant, ut tradit Raphael de la Torre tom. 2. de vitiis oppositis Relig. quæst. 96. art. 4. dil. p. 1. Nulla enim est D. Marci cum tauru sympathia, ex mystica quatuor animalium visione. Nec animalia sunt illa ratione prædicta, vt iussis valeant obtemperare: nec Deus talibus vanitatibus concurrit, ideo superstitioni ex paro tribuendum est. D. Thom. 1. 2. quæst. 13. art. 3. Tolet. lib. 3. de anima quæst. 7. Martin. del Rio lib. 2. Magic. quæst. 20. Vazquez 1. 2. disp. 78. cap. 4. num. 29. Laurens Salmant. certam. 7. cap. 2. 3. & 4. unde hos Confratres, & similes, qui tauros, aut alia animalia in festiuitatibus Sanctorum mansuefaciunt, ut superstitiones dannat SS. Dominus N. Clemens Papa VIII. ad Episcop. Cunitatens. Literis suis datis decimo Martij 1598. quæ refert Emmam. Valle de Maura tract. de Incant. seu, Ensalme opus. 1. sect. 2. cap. 2. post numer. 13. Hucusque Torreblanca.*

## QVÆSTIO XXXV.

*An, superstitionem committat, qui iumenta die Sancti Antonij, nouies per eius templum circunducit; & venam iumentis aperit, die certi alicuius Sancti, &c.*

**R**espondeo superstitionem committere, si animalis huiusmodi actionibus vtentis, sit adhibere dictas circumstantias, tanquam per se efficaces ad sanitatem animalium obtinendam à Deo: secus vero contrà, si non tanquam efficaces adhibeat, sed vt se magis excitet ad precanum, propter diem Sancto dicatum; aut propter affectum specialem, quem erga Sanctum habet, à quo auxilium, & incolumentem rerum suarum spectat: quia tunc non committit superstitionis peccatum; sicuti committit, & mortale, in primo casu. Sic ex Valentia, Sayro, & Delrio, docet Sanchez lib. 2. sum. cap. 40. numer. 31. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 10. dub. 10. num. 7. Tamburin. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 28. Bonac. loc. cit. num. 12. Lopus p. 3. lib. 15. dist. 3. art. 1. diff. 3. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 37. n. 3.

## QVÆSTIO XXXVI.

*An deinde, superstitionem committat, qui ex prima pecunia oblata Crucifixo in die Parasceue, conficit anulum ad sanandum mortuum contractionis membrorum?*

**R**espondeo ex nuper dictis, committere, & mortalem, si conficiens anulum ex tali pecunia, existimet esse, ex eo, infallibiliter, & efficaciter consequuturus effectum sanitatis membrorum: secus si id faciat, propter Crucifixi memoriam, expectandoque ab eo sanitatem. Sic Caiet. 2. 2. q. 96. art. 4. & in summa verb. superstitionis obseruationum. Vbi sic ait: *Quarta superstitione est obseruationum, in verbis, aut rebus sacris portandis, aut dicendis, utendis, adiunctis aliquibus conditionibus non malis, quarum ratio nescitur; ut patientes spasmodum neruorum, primo carlino oblato Christi Crucis in Parasceue, utuntur pro remedio, conficte ex illo anulo, & sic de similibus. Quantum enim apparet in huiusmodi, superstitione interuenit, quoniam vanæ conditiones apparent. Si tamen ex mera deuotione sunt, & non nisi à Deo intendant, & sperent effectum, putantes Deum inspirasse alicui Sancto Viro huismodi conditiones, non audeo dannare, sed tolerabile mihi videtur.* Hæc Cardin. Caiet. sic etiam Sanchez loc. cit. num. 31. Qui ex Delrio lib. 3. p. 2. q. 4. sect. 2. bene aduertit, doctrinam traditam à Caietano, solum posse deseruire ad excusandos eos, qui his rebus bona fide vni sunt. *At potentibus consilium, respondendum esse, id non licere sibi persuaderre. Quia cum lege ordinaria, non sit solitus Deus huismodi conditiones, in quibus aliquid vanitatis apparet, sanctis inspirare; temerarium est sibi quid huismodi persuadere.* Sic Sanchez. Qui tamen nostram tenet sententiam, ob rationem à nobis datam. Sic etiam Trullench num. 7. citato Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 37. num. 4.

## QVÆSTIO XXXVII.

*An, qui non vult ad Coniuium, ubi inuitati sunt tredecim, sedere; eo quod timeat, unum ex discubentibus eo anno moriturum; superstitionis graue peccatum committat?*

**R**espondeo quod sic si id faciat, credendo firmiter, illi ita esse euenturum secus verò si id faciat, non certa credulitate; sed quodam leui timore ductus: quia tunc non est de mortali damnatus. Sic Tamburinus lib. 2. in Decal. cap. 8. §. 1. numero 36. iuncto num. 76. Vbi sequentem casum sibi accidisse, his verbis lepidè narrat. *Risi olim, quoad hanc rem, & simul amicum sum collacrymatus. Cum agerem Montis Regalis, tredecim ex Canonicis inuitati simul discubuere, eiusmodi superstitionem parvus facientes. Porro die sequenti, quidam ex Collegio Canonorum, qui inuitatus ad conuinum non fuerat, obnusus casu procedens, uni ex conuinis dixit, fore, ut ex ipsis tredecim unus eo anno moreretur; cui alter subridens respondit, potius fore, ut ipse non inuitatus è viuis desineret, quam unus ex inuitatis; adeò vanam eam obseruantiam se existimare. Hanc non insulsam responsionem mihi idem, qui respondit, cum risu narravit, & ego, fateor, cum planus illam excepti: sed cum lacrymis, non post multos dies, amicum illum, qui conuinio non interfuerat, è vita ab inexpectata sublatum febre, sum prosecutus. Hæc doctus Tamburinus.*

## QVÆSTIO XXXVIII.

*An, possit sine superstitione fieri; ut si quis, gladium, quo inimicum vulnerauit, medicamentis foueat, recipiat sanitatem ille, qui vulneratus affectus, domi sue distans iacet?*

**R**espondeo non posse fieri, sine superstitione, & mortali. Quid enim Gladij medicatio operari potest in hominem vulneratum, & distantem? Nihil profecto naturaliter: igitur manifesta videretur superstitione, cum nihil naturale, nec diuinum in eo effectu appareat. Sic Tamburin. loc. cit. n. 37. iuncto 77. & antea Bonacina disp. 3. q. 5. punct. 4. num. 17. & 18. vbi id late probat. Trullench lib. 1. in Decal. c. 10. dub. 10. n. 10. Delrius lib. 3. q. 4. sect. 1. Sanchez lib. 2. sum. cap. 40. n. 44. & omnes.

## QVÆSTIO XXXIX.

*An sit superstitionis, tenere, quod saliuia hominis omnino ieiuni, sanet ulcera, seu apostema, &c.*

**R**espondeo non esse superstitionis. Quia naturalem viam ad hunc effectum habere, experientia nos passim docet. Ratio est: quia saliuia hominis ieiuni, est melius digesta, & subtilior, quam illa hominis saturata. Sic aliqui Doctores, quos sequitur Lopus par. 3. libro 15. distinct. 2. articul. 2. diff. 4.

## QVÆSTIO XL.

*An etiam careat superstitione, sentire, quod filium filius Cannabis ductus à puella Virgine, habeat vim ad aliquem morbum sanandum?*

**R**espondeo etiam carere superstitione; si vtens filio illo, non vtatur aliquibus verbis, signis, aut ligaturis vanis, aut submurmuratis precibus. Ratio sit. Quia si nuda mulieris (non hominis) planta efficaciam habet serpentem viuacissimum interimendi, eo solum, quod eius caput vel leuiter premit, (vt ait Rupert lib. 1. tom. 3. de Trinit. cap. 2.) cur non poterit virgo Innocens, non mulier corrupta, alicuius efficaciæ nobis incognitæ, particeps esse, vt suis manibus, imò etiam suo sputo, quo foeminæ solent nendo filium inungere, occultam virtutem ad aliquem morbum propellendum communicare? Sic videtur sentire Tamburin. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. numero 38. iuncto num. 67. Cuius sententia confirmari potest, eo quod minime superstitionis censeatur, credere, quod oliua plantata à Virgine, seu muliere casta, efficiatur fructifera; plantata verò à meretrice, infruitiosa; vt ex Iacobo Sprenger, in Malleo Maleficor. 1. p. quest. 1. dicit Lopus in edit. Inquis. par. 3. lib. 15. dist. 4. art. 2. diff. 1. ergo non mirum erit, censi, carere superstitione, sentire, quod filius à virgine ductus, & elaboratus suis manibus, & suo sputo, ac saliu inunctus, vim naturalem habet ad aliquem morbum sanandum.

## QVÆSTIO XLI.

*An sit superstitionis; adhibere filium digitis appensum, (à quo pendeat lapillus, seu annulus) intra vas vitreum, caldarium, vel amphoram, ad pulsandas, & dignoscendas horas diei?*

**N**egandum videtur: eo quod Eminentiss. Cardin. de Lugo (vt refert Tamburinus) dum publicam lectionem Auditoribus excipientibus dictaret enarravit, se in Hispania saepissimè hoc filii artificio in vasculum impendentis ad horas dignoscendas usum feliciter esse, ratus vera esse, quæ ab ipsa pueritia didicerat, motus scilicet, pulsus, & cœlestis alicuius constellationis occulta vi, eos horarios ictus in lateribus vasis edi.

Sed ut certum Respondeo: Filium adhibere ad horas dignoscendas modo præfato, superstitionis omnino est, quia constat non ex vi naturæ, sed ex Dæmonis pacto, pulsus, & ictus in lateribus vasis edi, sic tandem ductus experientia, dum in Italiam commearat, idem Lugo oppositum tenuit, ac docuit suos Auditores. Quem postea sequutus fuit Tamburin. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. n. 39. per totum, & n. 79. vbi tamen ait, quod non excedat veniale, si quis semel, aut iterum vellet experiri curiosè ex ioco, quid accidat, si filum cum annulo adhibeat ad horas designandas, vt docet etiam Tancredus ex Suario, Sanctio, & Bonac. apud ipsum Tamburinum.

## QVÆSTIO XLII.

*An, committat mortalem superstitionem, qui, eo quod audit aues garrire, ululare lupos, mugire boves &c. certo credit sibi mali quidquam imminere?*

**R**espondeo ut certum; Committere, si id certo credat: secus si ductus aliquibus euentibus, leuiter timeat, aut formidet. Sic colligitur ex cap. illos 26. q. 2. & sequent. & docet Nauar. in Mar. cap. 11. num. 37. vers. 27. & Torreblanca lib. 9. iuris spirit. c. 5. num. 15. vbi alias adducens actiones continentis superstitionis vitium, sic ait: *Sunt aliae vanæ obseruationis superstitionis note; ut que crines preædicando euulos, non nisi ter consputos abiiciuntur: si ona comedent, eorum testas, non nisi ter cultro perforessas in catinum preiiciunt, timentes, utrumque negligiam, veneficij nocendi occasionem præbere; seruatum præcludere nocendi potestatem, ut tradit Martin del Rio lib. 6. Mag. cap. 2. sect. 1. q. 1. Qui cum vident Noctuam volantem, circa alicuius ades, vel audiunt obstrepenem, vel canem vulvantem, mortem prædicunt imminere: Aut si alicui iter facienti obuiam venit Lupus, mali aliquid instare omenantur, ut tradit Petr. Binsfeld. in confess. Malefic. prælud. fin. Hæc Torreblanca.*

Adde rursus Nauarrum loc. cit. num. 38. ita scribente. *Qui obseruat illum diem, potius quam illum ad exeundum domo, vel ad iter agendum; vel quo pede statim à sonno terram contingat; vel quem pedem primum calcet: vel quod domo egrediens in limine impingat, & ob id retrocedit; vel quia simul, atque excitat, à somno, statim sternutavit, & ob id in lectum revertitur. Qui has, & similes vanitates obsernat, ut plurimum venialiter peccant, antequam à suis Curatis, vel Concionatoribus, vel confessariis admontantur. Post admonitionem autem, secundum B. Anton. 2. p. titul. 12. & citatis sup. eod. cap. num. 24. iam mortalia crimina indicantur. Hæc Nauartus. Qui intelligendus est, casu, quo hæc omnia, certo, & infallibiliter credant; non si leui timore ducti, contrarium operentur.*

## QVÆSTIO XLIII.

*An, superstitiones sint illæ orationes, in quibus à Christo Domino, vel ab eius Virgine Matre, petit quis, ut sibi in mortis articulo appareat?*

**R**espondeo esse superstitiones, ac reprobandas. Quia magna præsumptio est, velle quem, vt Christus Dominus, eiusve Sanctissima Mater, ei appearant. Deinde, quia Diabolus facile se in Angelum lucis transformat, & eum sub specie Christi Domini, aut eius Matris, potest eludere, permittente id Deo in pœnam vanæ illius fiduciae, & postulationis. Sic Ciruelo de superst. 3. p. cap. 11. vbi etiam nota superstitionis inurit illas orationes, in quarum titulis determinatur numerus dierum, in quibus dicenda sunt ad obtinendas à Deo gratias ibi contentas. Fagundez ex illo libro primo in Decalog. cap. 35. num. 17.

## QVÆSTIO XLIV.

*An, sit superstitionis certis verbis, pecus incantare, ne à lupis lœdatur?*

**R**espondeo ut certum: superstitionis esse. Probat hoc Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 37. num. 7. his verbis: *Non approbo tamen, morem usitatissimum, qui, apud rusticos Lusitanos, prope Montem Stella, precrebuit; & inde per circumnucinas illas regiones derivatus est. Hi enim in custodiendo suo pecore certis verbis utuntur, quibus à luporum rabie tutum credunt, & nullo custode relinquunt; quod illi pecus amentare vocant; & afferunt experientia compertum esse, nihil unquam mali à lupis accepisse pecus illud, quod prædictum verbis fuit amentatum, quamvis lupi illud circumstent. Ego potius dicerem pecus incantare; hoc enim esse non potest, nisi ex vi alicuius pacti demonis, quod certis, & determinatis verbis est obligatum. Evidens enim est, verba illa, non posse esse causam naturalem talis effectus; ac subinde esse certa signa alicuius pacti. Sicut enim serpentes pacto demonis, certis verbis, incantantur, ut patet ex Psalmo 57. Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas quæ non exaudit vocem Incantantium; ita & oues, certa verborum prolatione, ex eodem pacto, censendæ sunt incantari, re luporum morsibus pateant; aut potius lupi, ne eas inuidant. Hæc Fagundez.*

## QVÆSTIO XLV.

*An, sit superstitionis ars inueniendi aquas in terra latentes, adhibita virga salicea, vel amigdalina?*

**R**espondeo, Non esse superstitionis. Quia hic effectus viribus naturæ fieri potest, in debita distantia, ob qualitates, ab aqua in virgam, vel à virga in manu hominis humidi existente in aquam, transmissas: vel ob sympathiam virgæ in manu hominis talem complexionem habentis, existente. Sic Bonac. loc. tit. n. 14. Trullench. n. 9.

## QVÆSTIO XLVI.

*An, sit superstitionis, credere, quod ille, coram quo ignis cineribus cooperitur, uxorem minime illo anno sit ducturus?*

**R**espondeo ut certum: Esse superstitionis, & valde. Quia eiusmodi actio, nec naturaliter, nec moraliter, habet virtutem, aut vim ad hunc effectum: ergo talis credulitas manifeste est superstitionis, ac proinde contemnenda. Sic Lopus in edit. S. Inquis. part. 3. lib. 15. dict. 3. art. 1. diff. 5. Qui tamen addit, non esse omnino damandum, qui excusaret dictam propositionem, si sumatur non literaliter, sed omnino metaphorice, & tanquam signum. *Quia cum calidiores natura, & alacriores spiritu, ut plurimum contingit petant: & è contra, frigidiores, & melancholici ad matrimonium non sint tam propensi; deducitur, eos, si tandem morentur apud ignem, ut expectent etiam, illum ante se cineribus operiri, frigidos, & pigros existere, unde per belle dici potest, uxorem non esse ducturos, dum manent sub dictis qualitatibus. Sic Lopus.*

## QVÆSTIO XLVII.

*An, censendi sunt superstitionis Salutatores, (sic eos vocant Hispani) qui suo tactu, vel Orationibus, etiam incurabiles morbos; veluti morsum rabidum canis, miro modo, sanant?*

**A**ffirmant, censendos esse superstitiones, non nulli Doctores: eo quod Salutatores, neque ex virtute naturali, neque ex supernaturali, morbis praefatis medentur: ergo censendi sunt ex virtute dæmonis operari, ac mederi. Quod ex virtute naturali id non faciant; patet; quia solum suo halitu, vel contactu, adiunctis aliquando quibusdam precibus, morbis incurabilibus medentur; Sanguinem detinent, canes rabidos interficiunt, ab illorum moisu curant, pedibus ignem conculcant, & alia huiusmodi faciunt, quæ causarum naturalium virtutem excedere videntur: ergo. Quod autem, nec ex virtute supernaturali hæc mirabilia operentur, probatur: quia hæc supernaturalis virtus, non solet permanenter (bene, transeunter) flagitiis hominibus concedi, sed solum Sanctis viris: at hi Salutatores permanenter habent hanc gratiam, & ex alia parte, regulariter sunt improbae vitæ, nec ob alium effectum gratia utuntur, nisi ob lucrum, & quæstum: ergo. Ita Ciuello de superst. 3. par. cap. 7. vbi ait eos peccare mortaliter medendo, & eos quoque, qui ipsos vocant. Et Victoria de Arte mag. quest. 4. num. 16. ad 2. dicit, se multum timere, hos nullam vim habere ad Sanandum contra rabiem ex canis moisu, & siquam habent, eam esse à dæmons. Ita etiam Fagundez lib. 1. cap. 36. numer. 5. Qui & citat Sancium lib. 2. cap. 40. num. 39. & Suarium lib. 2. cap. 15. num. 25. sed ibi Authores non loquuntur de Salutatoribus, sed de Carmatricibus, Hispane, Ensaladoras, & Santignaderas.

Alij contra absolute Negant esse superstitiones; sed licet esse eorum curationem, & ideo approbadam. Sic Nauari. in sum. cap. 11. num. 36. Margarita Confessor. quest. moral. fol. 185. Castanegam lib. de supers. capit. 12. Palacios in sum. verb. Incantationes. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 25. quest. 2. Tamburin. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. num. 30. Verricellus qq. moral. tract. 8. quest. 37. num. 18. Trullench lib. 1. in Decal. capit. 10. dub. 10. num. 10. Qui & probat: tum, quia Salutatores nonnulli permituntur ab Ecclesia: Tum, quia fieri potest hanc gratiam gratis datam acceperint à Deo. Tum, quia nulla sufficienti ratione probari potest, horum Officium esse superstitionis, nisi ex adiunctis circumstantiis id appareat: ergo.

Sed clarius Respondeo, Minime censendos esse superstitiones, dictos Salutatores, si verba, aut signa, quibus in suis curationibus utuntur, recta sint, & proportionata; necnon & ipsi Salutatores, recte, & honeste vivant: secus vero, si male vivant, & signa, & verba, quibus ad curandos morbos utuntur vana sint. Ea autem reputanda sunt vana, quæ neque ad Sanctos, nec ad Deum diriguntur; nec ullam cum effectu operato connexionem habent. Sic ex Sancio loc. cit. num. 47. & Suario lib. 2. de superst. cap. 15. & num. 11. docet Palauis tom. 3. tract. de superst. disp. 1. punct. 10. à num. 14. & id, & non aliud, volunt Authores secundæ sententiae. Quorum omnium doctrinæ amplius ex iuxta dicendis claresceret.

## QVÆSTIO XLVIII.

*An, superstitionem mortalem committant Salutatores, quitalibus signis, & verbis ad curandos morbos utuntur, ut credant, quod à quocumq; usurpentur, effectum sint habitura?*

**R**Espondeo ut certum. Committere absquedubio. Quia cum illis signis, & verbis annexa non sit naturaliter hæc virtus, colligitur vt à Deo, vel dæmone illis fuerit annexa: at non est annexa à Deo; alias essent verba Sacramentalia: ergo necessario debet dici, esse à dæmone. Sic optime Suarez cap. 15. num. 25. quem citat, & sequitur Sanchez lib. 2. c. 40. numer. 47. vers. Octauum est. Lessius lib. 2. capit. 43. dubitatio. 10. numero 63. Palaus pñct. 10. cit. numero 14.

## QVÆSTIO XLIX.

*An, dentur aliqua alia indicia, quibus dignosci posse; an huiusmodi Salutatores virtute demonis operentur?*

**R**Espondeo ut certum: Dari, & multa. Primum, si ad curationem, usurpent verba Scripturaræ Sacrae, in sensu improprio, aut falso. Palaus loc. cit. numer. 15.

Secundum, si affirment, quod in præsentia alterius Salutatoris maiori virtute ad sanandum prædicti, se nihil posse operari; quia hoc dictum omnino falsum est: cum vnius Salutatoris virtuti, aut gratiae nihil obstat alterius præsentia, vt bene Delrius, & Veracruz, quos sequitur Sanchez loc. cit. num. 47. vers. Tertium est. Palaus n. 15. cit. Trullench n. 10. cit. vers. Tertium.

Tertium, si afferant, se alteri communicare virtutem sanandi posse. Quia hæc virtus, sive naturalis, sive supernaturalis sit, personæ annexitur. Palaus loc. cit. num. 15.

Quartum, si dicant, & affirment, se posse ingredi in fornacem accensam. Quia hoc naturaliter fieri nequit: & ex alia parte, talis miraculi nulla est necessitas inter fideles: ergo. Sic Delrius, quem sequitur Sanchez loc. cit. vers. septimum est. Palaus num. 15. Trullench num. 10.

Quintum, si teneant, se suo halitu, vel tactu, insufflatione, aut saliuia, posse interficere venenatos, vel morti proximos. Quia iis mortem accelerare, tametsi bono fine fiat, est intrinsece malum; cum sit Innocentium interfectio: ergo non potest, ex virtute à Deo concessâ, fieri. Sic Sanchez num. 47. cit. in fine, ita scribens: Tandem, solent Salutatores suo flatu, ac saliuia interimere rabie vexatos, ac moribundos, ne diu crucientur, aliisque noceant. Quod nulla ratione potest esse licitum, cum intrinsece malum sit, accelerare mortem innocentis. Nec ea gratia potest esse gratis data; cum illam non conferat Deus ad peccandum. Nec video, qualiter possit esse virtus naturalis; & ideo maxima suspicio est, concursus demonis ad eum effatum. Sic ille & ex illo Palaus numer. 5. Trullench numer. 10.

## QVÆSTIO L.

*An, sit superstitionem credere, hanc virtutem salutandi, inesse septimo cuique Salutatorum filio, si masculinum ordinem fæmineus partus non interruperit?*

**N**egant quidam censentes, nullam superstitionem continere, credulitatem prædictam. Ita videtur tenere Verricellus in qq. moralib. tra. 8. Mis. cellan. q. 37. n. 2. vers. sexto, illis verbis: Sic masculus, septimo loco, continuato Ordine, natus, strumas suo contactu curare passim putatur. Henricus Romanus lib. de miraculis vinorum, seu de varia natura fol. 219.

Sed esse vanam talem credulitatem, Respondeo cum Sanchez loco cit. num. 47. vbi ait, talem loquendi modum, aut cogitandi, esse ridiculum, & probris sine fundamento. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 10. numer. 10.

## QVÆSTIO LI.

*An, virtus Salutatorum, qua id munus licite obeunt, sit naturalis?*

**A**ffirmant quidam, esse virtutem, naturalem, portam vel à naturali complexione, vel à cœlorum constellatione. Probant, Primo. Quia pluribus Ethnicis, & Gentilibus communicata est virtus mendendi quibusdam morbis, tactu, sermone, aspectu odore, saliuia, vel halitu: ergo talis virtus non est supernaturalis: Consequentia patet; quia non videtur decens, tale beneficium, si supernaturale sit, talibus hominibus concedi. Antecedens vero probatur auctoritate Plinij, qui lib. 28. c. 3. ait, fuisse in Aphrica Psyllos, & in Italia Marsos, ex quorum familia, qui ducebant originem, tales fuisse, quorum corpora tactu ipso, suuctu modico, leuabant percussos à serpentibus; & manu imposita corpori venena extrahebant. Alios, item, quorum sudor medebatur multis morbis. Alios, quorum saliuia, contra ictus serpentium valebat. Et cap. 4. ait, quod intrante saliuia ieungi hominis in os serpentis, mox perimit. Legatur ipse met Plinius lib. 7. c. 2. & Azor, ubi infra, qui alia mirabilia referunt.

Secundo, Quia multis lapidibus, herbis, & animalibus hæc sanandi vis à natura inest, vt experientia constat: ergo & aliquibus hominibus inesse potest: ergo & Salutatoribus, & ideo ita sentiunt Castanea lib. de superst. capit. 12. numer. 46. Veracruz lib. 2. de anima speculat. 2. & dicunt esse probabile Victoria, & Margarita Confessor. apud Sanchez mox citandum. Quibus ego addo Palaum dicentem stando rationi, se hac in re indecisum esse: quamvis postea motus auctoritate Doctorum, oppositum vt probabilius sectetur.

Ergo Probabilius ego Respondeo virtutem Salutatorum non esse naturalem, aut debitam naturæ, aut conditioni hominis; sed gratiam gratis datam, aut donum Dei, talibus hominibus collatum. Sic Azor. lib. 9. instit. Moral. cap. 25. quest. 2. Delrius lib. 1. cap. 3. quest. 4. Sanchez lib. 2. sum. cap. 40. numer. 49. Nauarr. cap. 11. num. 36. Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 10. n. 63. & inclinat Suarez lib. 2. de superst. c. 15. nu. 25. & 27. Palaus to. 3. tract. de superst. disp. 1. pun. 10. n. 16. Verricelli in qq. Moral. tra. 8. quest. 37. nu. 18. Qui & probat. Ex eo quod Gallie, Reges, tantum Catholicæ

& legitimi Reges, hoc dono potiuntur; & olim etiam ut Reges Angliae Catholici, merito Sancti Eduardi Regis (narrat Polydorus Virgilius lib. 10. Historia Anglorum) hoc habeant donum Sanctitatis; ut suo contractu strumas, seu scrophulas sanarent. Illi ex familia Puluerina, tantum si sint ex legitimo thoro, venenos sputo curant: Constat autem, quod titulus Regni, Catholica Fides, ac legitimus thorus, cum sint quid morale, sunt aliquid impertinens ad naturalem facultatem sanandi: ergo ea est virtus supernaturalis. Hucusque Verrellus.

Sed ad eius intelligentiam, nota id quod Azorius loc. cit. dicit nempe, Quod talis virtus, seu vis, minimè sit supernaturalis, hoc est habitus menti infusus; sed vis quedam præter solitum morem hominibus data, quæ suos præstet effectus, aut causarum naturalium ministerio, & opera, aut certè quod est verisimilius, operante Deo, talium hominum interueniente sermone, talitu, asperetu, odore, sudore, vel halitu. Sic ille. Legatur Villalob. tom. 2. tract. 38. diff. 8. num. 4.

## Q V A E S T I O L I I .

An, sint superstitione fœminæ carminatrices, quas vulgo, Ensaladoras, ò Santiguardoras, vocant?

**N**Egat absolutè Tamburinus lib. 2. in Decal. c. 6. §. 1. numer. 30. ita dicens: Deinde colligit idem Sanchez, non esse superstitiones eos, quos Hispani vocant Empalmistas, qui per empsalmos, hoc est, per quasdam scripturas, sive ex Psalmis, sive ex aliis orationibus confessas, curant infirmos. Ita ille. Qui quamvis loquatur de viris, eadem est ratio de fœminis.

Sed clarius, Respondeo dicendum, cum Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 39. minimè esse superstitiones tales mulieres, si solis orationibus licitis, (absque vana aliqua circumstantia) vtantur: vt per Passionem Christi, &c. illis, supplicantes Deo, vt possint medicinæ naturales, quas morbo applicant; quia in hoc nil mali reperitur; sed potius boni; cum pium sit, eum effectum piis orationibus à Deo petere. Secus vero dicendum, casu quo orationes, aut preces adhibeant, sed nullam applicant medicinam naturalem efficacem ad illius morbi sanitatem, credentes illis solis verbis, salutem morbi obtinendam; quia tunc censendæ sunt superstitiones: quia ea verba, aut signa nullam vim naturalem, aut supernaturalē habere ad talē effectum est præsumendum. Sic Sanchez loc. cit. & apud ipsum, D. Anton. Angel. Nauar. Siluester, Rodriguez, Lopez, & Ciriuelo. Trullench. lib. 1. in Decalog. capit. 10. dubit. 10. numer. 12. Palao punct. 10. citat. numer. 9. Villalob. tractat. 38. diff. 7. numer. 11. Fagundez lib. 1. in Decalog. capit. 36. à numero 3. Suarez lib. 2. de superst. capit. 15. numero 24. & 25. Filluc. tractat. 24. capit. 6. quæstio 6. à numero 151.

## Q V A E S T I O L I I I .

An, Ensalorum curatio sit superstitionis?

**A**Ffirmat Fagundez cap. 36. cit. numer. 1. his verbis: De Ensalorum curatione agimus in 2. Ecclesiæ præcepto lib. 8. capit. 4. numer. 16. vbi diximus, curationem per verba Ensalorum, in foro conscientia non esse licitam sed superstitionem, & ex se mortalem, propter pactum daemoni ibi implicitum, & id ipsum

nunc iterum affirmamus, & ita docet Emman. à Valle-Lusitanus, in libro quem scripsit, de Ensalorum curatione sett. 11. cap. 10. num. 21. vbi refert, Curationem Ensalorum fuisse suo tempore approbatam ab Ordinario Eborense, & postea, re bene considerata, & discussa, fuisse publico edito prohibitam, & iussam denunciari in visitationibus, &c. Ita ille. Qui & citat Suarium cap. 15. cit. n. 26.

Probat Primo: Quia curatio, quæ fit per verba Ensalorum inest verbis, non personis, ut experientia constat: ergo signum est, quod huiusmodi effectus non possit prouenire à gratia gratis, aut domino curationis; cum hæc solum communicetur personis, non verbis.

Secundo. Quia Ensalorum verba, non habent effectum curationis, nisi proferantur ad certas complicationes pannicolorum lineorum, in talem, vel talem modum efformatas: atqui virtus diuina non est alligata complicationibus, nec adstricta pannis lineis, & non aliis, aut huius, non illius colori: ergo signum est, talem effectum esse ex pacto aliquo demonis ibi implicito, & non ex verbis.

Sed probabilius, Respondeo dicendum; iuxta numeri dicta, quod, scilicet, minimè sit superstitionis, si verba, aut orationes, quæ ad curationem morbi adhibentur, sint licita, & sine aliqua vana circumstantia; & præterea applicetur aliqua medicina naturalis ad curationem consequendam: è contra vero, si in orationibus Ensalorum vtantur nominibus incognitis, nihil significantibus, aut verbis dubiis, vel verbis, quæ infallibiliter promittant effectum temporale, aut spirituale; aut in ipsis solis verbis, aut modo operandi, collöetur, tunc vana, & superstitionis erit talis Ensalorum incuratio. Sic Villalob. tract. 38. diff. 9. per totam. Et ex illo Trullench. l. 1. in Decalog. c. 10. dub. 10. sub num. 12. Sanchez, & Tamburin. supra citati, cum aliis communiter. Qui bene notant, quod in his casibus, sit optimæ cautio, protestari, se nolle vti illis verbis dubiis, in quantum vanæ, & superstitionis, nec se velle consequi effectum sanitatis ex pacto vlo cum demone; sed solum se velle vti dictis verbis in quantum licitæ sunt, & à Deo effectum impetrant. Legantur Philiarcus de Offic. Sacerdot. tom. 1. par. 2. lib. 3. c. 11. concl. 4. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 95. num. 4. Villalob. & Trullench. loc. citatis.

## Q V A E S T I O L I V .

An, sit superstitione, uti certo Missarum, & candelarum numero, ab Ecclesia non prefinito?

**A**Ffirmat absolute Torreblanca lib. 9. iuris spirit. cap. 6. num. 4. ita dicens: Est enim temerarium, & indignationis divina obnoxium, in materia Religiosis, vel cultus, aliquid addere, vel minuere, vel immutare. Nam, vt ait Dominus, Deuteron. capit. 12. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, neque addas quidquam, nec minuas. Vnde Missarum ritus superstitionis censetur, in quibus præscribitur certus numerus Missarum, vel candelarum ab Ecclesia non prefinito; nam eo ipso, vt superstitione damnantur in Sacro-Sancto Concil. Trident. sess. 22. in decreto, de obseruand. vel vitand. in Missa celebrat. his verbis: Quorundam Missarum, & Candelarum certum numerum, qui magis à superstitione cultu, quam à vera religione invenitus est, omnino ab Ecclesia Episcopi submoveant. Hæc Torreblanca.

Sed clarius, Respondeo certum esse, quod sit superstitionis,

stitionis, & vanum, vt in cultu diuino vanis, & inutilibus ceremoniis; vt vti tanquam necessariis, certo numero Missarum, diebus continuis dicendarum, talibus horis, tot & talis coloris candelis; ita, vt his circumstantiis innitatur illis vtens, quasi existimet, Missarum efficaciam cessaturam, iisdem circumstantiis deficientibus. Et hoc voluit, Concilium Tridentinum loco citat. Qui tamen, minime damnauit certum Missatum, & Candelarum numerum in memoriam alicuius mysterij; vt duodecim in memoriam duodecim Apostolorum; undecim, in memoriam undecim millium Virginum, &c. dummodo non illi numero certo ita fidatur, vt illum augere, & minuere statim inutile Sacrificium putetur. Sic Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 40. & ex illo, Fagundez, lib. 1. cap. 37. numero 1. & Alcozer, & Ciruelo apud ipsos.

## Q V A E S T I O L V .

*An sint superstitiones Missae, quas vocant, de San Amador?*

**R**espondeo: Esse superstitiones. Quia vestiuntur vanis circumstantiis, vt ait Sanchez his verbis: Tandem deducitur, quid dicendum sit, de Missis, quas, de San Amador appellant, cum certis ceremoniis, nempe, vt inchoari, & terminari debeant certis destinatis diebus, & absque interpolatione, & certo candelarum numero. Dicendum enim est, eas esse superstitiones. Sic ille lib. 4. cap. 40. numer. 41. & penes ipsum, Ciruelo, Roxas, Didacus Ramirez, & Didacus de Alaba, & alij. Fagundez lib. 1. cap. 37. num. 2. Qui tamen addunt, quod si huiusmodi Missae omni vano circumstantia nudentur: nec certo illo numero ita nitantur, vt eo aucto, aut diminuto, fructus putetur amittendus, licet sint. Legatur Torreblanca lib. 9. iuris spirit. practic. capite 6. numero 8. & sequent. & alij apud ipsum.

## Q V A E S T I O L VI .

*An etiam sint superstitiones illae Missae, quas appellant, Trentenarij reuelati, aut Missas del Conde?*

**N**egavit esse superstitiones, dum eas approbavit D. Ildefonsus de Sauz Episcopus Liennensis in sua Synodo anni 1511. tit. de vita, & honest. Clericor. cap. 2.4.

Sed vt certum, Respondeo. Esse superstitiones; Quia continent vanas, & inutiles circumstantias; utpote, quod duo Clerici soli, & quidem inclusi, intersint Missae, nec egredi inde possint, nisi ad Sacramenta ministranda, aut iussu Praelati, nec possint pedem Ecclesia extrahere, dum ex triginta Missae celebrantur. Sic Sanchez, Fagundez, Torreblanca cum aliis, locis supra citatis.

## Q V A E S T I O L VII .

*An item, Missae Sancti Gregorij pro viuis, & defunctis; necnon Missa de quindecim Auxiliatoribus, & Missa de Patre aeterno, superflue laborent?*

**R**espondeo, vt certum: Superstitione laborare & ideo illas, tanquam nulla authoritate sufful-

tas, Sacra Congregatio Rituum damnauit, his verbis: *Sacra Rituum Congregatio, ad tollendos abusus, qui variis in locis irreperunt, re maturius discussa, censuit, & decreuit, Missas item, que circumferuntur à Sacra Congregatione non approbatas, Sancti Gregorij pro viuis, & defunctis; Quindecim Auxiliatorum, & de Patre aeterno, & quascumque alias, exceptis iis, que sunt permissa Regularibus tantum, veluti Provinciae Sancte Marie, de Carmelo, & alias; sicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, & damnauit respectuè; & pro prohibitis, reieatis, & damnatis habere voluit, sub paenitentia in Bullis Py. V. initio Breuiarij, & Missalis positis, quod scilicet, non satisfaciant muneri recitandi Diuini Officii. Quo verò abutentes supradictis Missis, sub aliis paenitentia in Indice librorum prohibitorum ex decreto Sancti Concilij Tridentini edito, &c. Facta demum relatione horum praedictorum SS. Domino N. Urbano VII. Idem Sanctissimus ea laudauit, approbavit, atque ab omnibus ubique sub praedictis paenitentia, seruari præcepit, &c. die octavo Aprilis 1628. Sic Congregatio. Cuius decretum per verba relata, referunt Barbosa tract. de Poteft. Episcopi, in noua edit. 1628. Inter Decreta Apostolica fol. 13. & ex illo Torreblanca lib. 9. Iur. Spirit. cap. 6. num. 26. Præter quos, sic tenent Gauantus in Rubr. Missal. par. 4. tit. 17. numero 13. & 16.*

## Q V A E S T I O L VIII .

*An saltem sint tolerande Missae triginta Sancti Gregorij pro defunctis, ab ipsis metu instituta?*

**R**espondeo, vt certum: Tolerandas esse. Quia eas pro Religiosis eiusdem Sancti, approbavit Sacra Rituum Congregatio die 28. Octobris 1628. vt refert Torreblanca, loc. cit. num. 25. Deinde, de his Missis sic loquitur Gauantus in Rubric. Missal. par. 1. tit. 5. de Missis Defunctor. numer. 3. lit. D. Ritus autem triginta dierum à Sancto Gregorio Papa 4. Dialog. 55. præscribitur Abbatii Preiolo, pro Monacho Iusto, iis verbis. *Vade, ab hodierna die, diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium, stude, vt nullus omnino pratermittatur dies, quo pro absolutione illius Hostia Salutaris non offeratur.* Ex quibus intelligere possunt celebraturi Missas, quas vocant Sancti Gregorij, hoc est, institutas, & approbatas à S. Gregorio, quod primo, non est necesse, vt Idem Sacerdos per mensum celebret diebus triginta; sed necesse est, vt offeratur Hostia per mensum, sive ab uno, sive à pluribus, v patet ex iis verbis, *stude offerre, neque addit Abbatii, Perte, quod effet onus Graue.* Secundo, sufficit offerri Sacrificium; non autem omnes Missae dicendæ sunt, ritu proprio de Defunctis, qui in Dominicis intercurrentibus prohibetur. Tertio, continuis diebus fieri debent, vt nullus omnino pratermittatur dies, remota superstitione, quam vetuit Tridentin. sess. 22. ratione numeri. Neque discontinuantur, ob triduum maioris Hebdomadæ, quo non debet celebrari. Doctores autem, qui volunt, eas posse discontinuari, concludunt valere, tanquam triginta Missas, sed non, vt eas, quas instituit Sanctus Gregorius, vt ex eiusdem verbis patet. Hucusque Doctus Gauantus. Legantur Sanchez, & Fagundez loc. cit.

QVÆSTIO LIX.

An, per Artem Chymicam produci posset naturaliter, ex viliori metallo, verum aurum, aut argentum?

**A**ffirmant Albertus Magnus lib. 3. de Mineralibus cap. 9. Anton. Mirandolanus in lib. de euers. singul. cerman. lib. 19. sect. 7. Janus Licinius, apud Pererium, lib. 8. Physic. c. 20. Noster perdoctus Henricus Gandeuans. Quodlib. 5. q. 3. Conimbricens. lib. 2. Physicor. cap. 1. q. 7. Martin Deltio lib. 1. disquis. Magic. cap. 5. quæst. 2. sect. 2. 3. & 4. vbi tanquam longe probabilius defendit, posse fieri verum aurum à Chymicis; imo & aliquando factum fuisse. Tenent hanc eandem sententiam plures alij Doctores, quos lato calamo refert Verricellum in qq. Moral. tract. 7. de Alchymia. q. 2.

Alij contrà negant, possibile esse à Chymicis produci naturaliter per artem, ex inferiori metallo, verum aurum, aut argentum sic tenent, apud Verricellum, loc. cit. Auicenna lib. 3. Meteor. q. ultima Vincentius Beluacensis in suo speculo tom. 2. lib. 11. à capite 124. Aristotel. lib. 3. Meteor. tex. ultimo. Sueffanus ibi Commentar. 121. Auerroes, super prim. lib. de generat. animal. cap. 1. S. Thomas in 2. sentent. diff. 7. q. 3. art. 3. ad 5. Caiet. 2. 2. q. 77. art. 2. Egidius Roman. quodlib. 3. quæst. 8. Abulens. Cardanus, Pineda, & alij, quos citat, & tandem sequitur Pat. Verricellus q. 2. cit. num. 6. qui à sect. 3. usque ad undecimam, id late probat, & certè bene. Hac igitur quæstione supposita, restat quærendum, an exercere hanc artem sit quid superstitionis, pro quo dubio dissoluendo, sit.

QVÆSTIO LX.


An sit superstitionis, & omnino illicitum, exercere Artem Alchymicam?

**N**egant omnes Authores primæ sententie, affirmantes, posse virtute naturali, metalla vilia in argentum, & aurum transmutari. Cum quibus sentiunt Oldradus consil. 74. Ioann. Andreas in Addit. ad Specul. tit. de criminis falsi. Abbas in cap. ex tuarum, de Sortileg. Isernia in cap. 1. num. 19. & ibi Baldus num. 5. Caiet. in sum. verb. Alchymia Rosella, Siluest. & alij, apud Verricell. tractat. 7. de Alchymia, quæst. 1.

Affirmant contrà, esse superstitionis, & omnino illicitum, omnes qui sentiunt, nulla virtute naturali dictam transmutationem fieri posse. Quia Deus his vanis non se immiscet. Sic debent sentire authores secundæ sententie.

Ego autem, licet existimem primam sententiam, relata m quæst. 59. suam probabilitatem habere; nihilominus Respondeo dicendum, quod saltem ex vi iuris positivi, illicitum omnino sit, exercere artem alchymicam. Probatur. Quia Ioannes XXII. grauibus pœnis carceris, & infamia omnes Alchymistas punit, in Extraug. Spondent. de criminis falsi: ergo iure Pontificio dicta ars prohibita est. Adde, quod huiusmodi alchymica ars, est exposita multis defraudandi periculis, & ut diabolus se ei operationi ingerat: ergo ex hac parte etiam erit omnino illicita. Sic Angel. verb. Alchymia. Valentia 2. 2. disput. 6. q. 13. punct. 2. difficul. ultima. Pererius de Ma-

gialib. 1. cap. 12. Sanchez. lib. 2. sum. cap. 40. num. 5. 1. Molfess, in sum. tom. 1. tract. 11. cap. 7. num. 124. Paulus tom. 3. tractat. de superst. disput. 1. punct. 10. numero 17. & communis.



DISPVTATIO II.

De tertia superstitionis specie, quæ est, Diuinatio.

§. I.

De Diuinatione ut sic.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Diuinatio in communi?

**R**espondeo dicendum, quod est, Prænuntiatio futurorum contingentium, aut occultiorum. Sic Sousa in Aphoris. Inquisit. lib. 1. cap. 38. num. 1. Ignatius Lupus in edict. inquisit. par. 3. lib. 17. diff. 2. art. 1. diff. 1.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit Diuinatio?

**R**espondeo quod triplex. Prima dimanat à Deo; & dicitur Prophetia, quæ non est aliud, quam scientia, quæ de rebus futuris, aut occultis à Deo habetur. De qua intelligitur illud Proverb. 16. Diuinatio in labiis Regis, in indicio non erravit cor eius. Secunda procedit à causis, & signis naturalibus, & vocatur Diuinatio naturalis. Tertia, prouenit, aut edocetur à dœmone, & appellatur, sortilegia. Sic S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 1. & ibi Raphael de la Torre, Lopus loc. cit. diff. 2.

QVÆSTIO III.

An, Diuinatio, regulariter in malam partem sumatur?

**R**espondeo dicendum, quod licet diuinatio ut sic, abstrahat à scientia, seu cognitione bona, & mala; tamen regulariter loquendo, semper sumitur in partem malam; nempe, pro scientia futurorum, vel occultorum, orta ex dœmonis pacto. Unde hoc modo sumitur multis in locis Sacrae scripturæ ut Leuit. cap. 20. Numer. 22. Deuteron. 18. Reg. 1. cap. 6. & 28. Isaiæ 8. 19. & 44. Ierem. 14. 27. 29. & 50. Et in iure Canon. 26. q. 1. cap. illos & q. 2. cap. igitur & q. 3. cap. Aliquantum, & q. 4. cap. igitur genus. & q. 5. cap. Nec mirum, & alibi, legantur Torreblanca lib. 6. iuris spirit. c. 1. à n. 1. Lopus, loc. cit. diff. 3. & alij. Et de Diuinatione hoc modo sumpta, est sermo in præsentiarum.

## Quæstio IV.

*Quid sit diuinatio sortilega?*

**R**espondeo ex dictis, quod est, futurorum, aut occultorum prædictio, modo indebito; aut est, prædictio inordinata eorum, quæ solum ad Deum spectant, ope, aut pœsto dæmonis facta. Sic S. Thom. 2.2. q.95. art. 1. Azor 1.p. lib.9. cap.12. q.1. Suarez tom.1. de Relig. lib.2. de superst. cap.7. à num. 1. Valentia disp.6. q.12. punct.1. Sanchez lib.2. cap.38. num.1. Lessius lib.2. de inf. cap.43. dubit.5. Bonac. in prim. Decal. præcep. disp.2. q.5. punct.3. n.1. Trullench lib.1. in Decal. cap.10. dub.3. n.2. Palaus tom.3. tract. de superst. disp.1. punct.3. n.4.

## Quæstio V.

*Quot sunt diuinationis species, in quibus dæmon expresse inuocatur?*

**R**espondeo dicendum, quod diuinatio, in qua est pactum expressum cum dæmoni, & generali nomine vocatur Necromantia, continet in se novem species.

*Prima* est, *Prestigium*, nempe, cum dæmon, variis apparitionibus, superstitionum oculos præstringit, se illorum aspectibus obiciens, occultaque docens.

*Secunda* est, *Diuinatio per somnia*, & contigit, cum instructio dæmonis per somnia speratur.

*Tertia* est, *Necromantia*, qua adhibitis sanguine, & certis carminibus, videntur mortui resurrexisse, loqui, & diuinare, ad interrogata, respondendo.

*Quarta* est, *Pythonica* & datur, cum dæmon per homines arreptitos futura dicit.

*Quinta* est, *Geomantia*, cum dæmon docet per signa in corporibus terrestribus apparentia; vt in ligno, metallo, lapide &c.

*Sexta* *Hydromantia*; cum per signa in aqua apparentia aliquid docet.

*Septima*, *Acromantia*, cum docet per signa in aere apparentia.

*Octava*, *Pyromantia*; cum per signa apparentia in igne aliquid monet.

*Nona*, *Aruspicium*: & contingit, cum per signa apparentia in extis animalium sacrificatorum dæmoni, docet. Sic omnino Thom. Sanchez lib.2. sum. cap.38. num.12. Lupus etiam licet non ita extense, 3 p. lib.17. distinct.2. art.3. diff. unica Bonac. punct.3. cit. numero 5.

## Quæstio VI.

*Quot sunt item diuinationis species, in quibus tacite solum inuocatur dæmon?*

**R**espondeo dicendum, quod sint vndecim. *Prima* est, *Genethlia* aut *Mathesis*, & contingit, cum ex Syderum motu, aut situ, natuitatem aliquius considerat, & diuinat futura.

*Secunda*, *Augurium*: Cum ex animalium vocibus, aut ex hominum sternutatione.

*Tertia*, *Anspicium*: Cum ex avium volatu, aut quorumvis animalium motu.

*Quarta*, *Omen*; Cum ex hominum vocibus, præter intentionem dictis.

*Quinta*, *Onirocritica*: Cum ex Somnis. *Sexta*, *Physiognomia*, cum ex totius corporis humani signis. *Septima* *Spatulamētia*, cum ex spatulæ signis. *Octava*, *Metoposcopia*, cum ex fronte. *Nona*, *Chyromantia*, cum ex manuum lineis. *Decima* *Geomantia*, cum ex punctorum protractione. *Vndeclima*, *sortilegiam* quod fit, cum aliquis ex signis resultantibus in plumbō liquefacto, projectoque in aquam: Vel ex consideratione festucæ electæ ex duabus oblatis, schedulæve scriptæ, aut alibi; vel ex taxillorum projectione; vel ex consideratione eius, quod aperienti librum occurrit, cognitionem querit. Sic ex D. Thoma 2.2. quest.95. art.3. docet Sanchez loc. cit. num. 13.

## Quæstio VII.

*An, futurorum; aut occultorum inquisitio per diuinationem; semper innitatur pacto expreso, vel tacito, dæmonis?*

**R**espondeo ex dictis: Semper inniti. Sic D. Augustin. lib.2. de Doctrina Christiana. cap.22. & 23. & D. Thom. 2.2. q.95. art.2. & 3. & opusc.25. capit.3. & ex illis Sanchez lib.2. sum. cap.38. numer.3. Qui bene explicat in quo hoc pactum duplex cum dæmonie consistat, consistit, inquit, & contingit pactum cum dæmonie explicitum, quando expressis verbis inuocatur dæmon; & cum eo pactum initur, aut quando ipsomet facto, hæc fiunt, veluti, si quis sciens, dæmonem per aliquod signum occulta doceat, illud ea docendus, usurpet. Implicitum verò pactum, aut tacitum contingit, & datur, quando quis cognitionem soli Deo referuatam, mediis vanis, & indebitis procurat. Nam quamuis præter eius intentionem sit dæmonem inuocare; at eo ipso, quod quis hæc media vana intentat, quibus libentissime dæmon se permiscet, vult à dæmonie vanorum inventore doceri. Sic Sanchez, ex Caiet. 2.2. q.95. art.2. & 3. Nauarro cap.11.n.25. Valentia 2.2. disp.6. q.12. punct.2. Sayro, Clavi reg. lib.4. cap.5. n.5. Delrio lib.4. cap.2. q.2. Suario lib.2. de superst. cap.9. à numer.9. Sic etiam Bonac. punct.3. cit. num.4. Less. lib.2. cap.43. dubit.5.

## Quæstio VIII.

*An, malitia pacti expensi, vel taciti cum dæmonie, consistat in hoc, quod quis cum illo, tanquam cum Dei inimico, & iurato hoste, fædus ineat?*

**R**espondeo affirmatiè. Non, cum ab ipso munere exordio, Deus inter homines, & dæmones inimicitias indixerit, easque in Baptismo spondent homines vniuersi, renunciantes dæmoni, & operibus eius; hinc est, quod pactum expressum, aut tacitum cum dæmonie ineuntes, fædus cum Dei inimico ineant. Nulla igitur societas cum ipso quod esse licita; sed semper dæmones, vt summi hostes Dei, & hominum tractandi sunt. Sic Sanchez c.38. cit. n.6. ex Caiet. 2.2. q.90. art.1.

## Q V A E S T I O IX.

*An, Diuinatio hæc superstitionis, sit omni iure vetita?*

**R**Espondeo, Quod sic. Non in primis est vetita, iure Diuino, Deuteron. 18. Numer. 25. Ecclesiast. 34. & Esaiæ 8. Rursus est vetita, iure Canonico, per multa capita 26. qu. 5. & alibi, vt habitum est. quest. 2. & à Sixto V. in Motu proprio, contra Astrologos. Et denique vetita iure ciuili, l. Nemo. C. de Malefic. Sic Sanchez nu. 15. Villalob. tract. 38. diff. 3. num. 9. vbi cum Sanchez, esse etiam prohibitam iure naturali tenet.

## Q V A E S T I O X.

*Ap, omnes diuinationes, siue fiant cum expressa, siue cum implicita dæmonis inuocatione, sint ex genere suo peccatum mortale?*

**R**Espondeo, vt certum. Esse ex genere suo mortale. Quia (vt supra quest. 8. est habitum) per diuinationem initur fœdus, & societas, cum dæmone, perpetuo Dei Nostri hoste; cum per illam homo diuinator se subiiciat disciplinae dæmonis, vt ab ipso occulta deceatur; illumque tacite honorat, fidem ipsius documentis præbendo, eique futurorum cognitionem, quæ soli Deo conuenit, tribuendo; quæ omnia continent tacitam Idolatriam, ac proinde in hoc peccato non datur paruitas materiæ, si serio fiat. Sic Bonacina disp. 3. quest. 5. punct. 3. numer. 17. alias 16. Trullench. ex illo lib. 1. cap. 10. numer. 11. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 17. & 18. Valentia qu. 12. punct. 4. Delrio lib. 4. cap. 2. quest. 4. Reginald. lib. 17. numero 170. Villalob. loc. cit.

## Q V A E S T I O XI.

*An Diuinatores huiusmodi, possint à mortali, ob ignorantiam inuincibilem, excusari?*

**R**Espondeo, dicendum, quod minimè possint excusari, si facta fuerit diuinatio cum expressa dæmonis inuocatione; quia in hac re, apud fideles, nō puto, posse dari ignorantiam inuincibilem; quis enim ignorat, non licet, commercium, & societatem cum dæmone habere; cum res huiusmodi, præ se ipsa malitiam suam ferat, ac toties deceatur. secus vero dicendum, si facta fuerit diuinatio, cum sola inuocatione tacita; quia tunc excusari potest à mortali diuinator, ratione ignorantia, quæ nec affectata, nec nimis crassa sit; quia non ita patens est huius diuinationis malitia. Sic Caiet. Valentia, Sayrus, & Lessius, quos citat, & sequitur Sanchez libro 2. capite 38. numero 17. 18. & 19. Layman, & Reginald. quos sectatur Bonac. disputat. 3. quest. 5. punct. 3. numer. 17. Trullench. libro primo capit. 10. dubitat. 3. sub numer. 11. Villalob. tractat. 34. diff. 3. numero 10. Lopus in edit. S. Inquisit. par. 3. libro 17. artic. 4. diff. 3. Qui bene notat, nec hunc excusari à mortali, si prius monitus, quod in talibus diuinationibus, tacite inuocatur dæmon, adhuc in illis perseuerat.

## Q V A E S T I O XII.

*An, excusetur à mortali, qui diuinatione uitatur ioci causa ad se oblectandum?*

**N**Egat Palaus, infra adducendus, existimans, raro excusari à mortali. Sed probabilius, Respondeo. Excusari à mortali. Quia tunc talis diuinatio non est superstitionis, cum deficiat animus superstitionis indagandi occulta; sed iocosè, & vanè, & sine affectatione cognitionis Dei propriæ, sed solum ad experiendum, quid casu accidat, & ideo potius est quædam vanitas, quam superstitionis. Sic Suarez lib. 2. de superstitione. capit. 9. numer. 11. Valentia loc. cit. punct. 3. Sayrus lib. 4. Clavis, cap. 5. n. ultimo. Delrio lib. 4. cap. 2. quest. 3. Sanchez lib. 2. cap. 38. n. 10. & 20. Bonac. disp. 3. quest. 5. punct. 3. numer. 18. & alij, contra Palaum disput. 1. punct. 3. numer. 6. vbi ait, raro à mortali hunc usum excusari. Quia (inquit) competitum est, illa media improportionata esse ad significandos occultos effectus: ergo cum quis tentat videre quid ex illis accidat, quidve significant, tentat experiri, an de facto se dæmon illis immisceatur, & consequenter tentat cum dæmonie societatem habere, quod etiam ex ioco videtur graue peccatum. Hæc ille, & certe probabiliter.

## Q V A E S T I O XIII.

*An, Quando adest pactum expressum cum dæmone, sit necessario exprimendum in confessione?*

**A**ffirmare debent omnes, qui existimant diuinationem per pactum explicitum in ratione superstitionis differre specie ab illa, quæ est per pactum implicitum. Ita aliqui quos, suppressis nominibus, refert Suarez lib. 2. de superstitione. 1.

Affirmant & alij, qui quamvis putent, diuinationem per pactum explicitum, esse eiusdem speciei in genere viri, & mali moralis, cum diuinatione per pactum implicitum, seu tacitum, cum quia taciti, & expressi, idem est iuris, l. de quibus, in fine ff. de legib. eadēque ratio; cum in dictis diuinationibus eadem sit participatio Idolatriæ, & priuatio eiusdem honestatis Religionis; nihilominus tamen, vt certum iudicant, explicandum esse in Confessione, an diuinatio facta fuerit cum expresso dæmonis pacto: quia longe diuersum iudicium est faciendum in confessione de pacto expresso, quam de tacito. Ita Suarez loc. cit. & ex illo Sanchez libro 2. Sum. cap. 38. num. 14. Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 5. Reginald. lib. 17. num. 170. Filliuc. tract. 24. capit. 3. questio. 10. num. 72. Bonac. disp. 3. punct. 3. numer. 20. alias 19. Trullench. lib. 1. cap. 10. dub. 3. nu. 10. Palaus disp. 1. punct. 3. num. 11.

Negant vero alij, docentes sufficere, in casu diuinationis, fateri dicendo, se reum fuisse superstitionis diuinationis mortalis, non explicando, an facta fuerit per expressam, vel tacitam dæmonis inuocationem. Ratio est: quia probabilissimum est, quod in confessione solum debeat necessario explicari circumstantiae mutantes speciem, non aggravantes intra eandem, vt late diximus 1. p. tractatu de Pœnitentia atque etiam est probabilissimum, vt vidimus, quod diuinatio per pactum explicitum, non differat specie, à diuinatione per pactum implicitum,

sed

sed solum differant sicut compleatum, & incompletum; aut sicut actus perfectus, & imperfectus, intra eandem speciem: ergo probabilissimum erit, non esse obligatum pœnitentem manifestare in Confessione expressam dœmonis inuocationem. Sic Victoria in summa ubi de Confess. num. 176. fine.

Sed ego distinctius, Respondeo dicendum, quod ex se, aut de per se, minimè sit necessarium explicare in Confessione, an diuinatio fierit cum expressa Dœmonis inuocatione, aut non: secus verò ex adiuncto; Primum constat ex argumento facto presententia Victoriae, quod quidem in nostra sententia docente non esse necessario confitendas aggrauantes, efficacissimum est.

Secundum verò probatur planè. Quia diuinatio procedens, ex pacto expresso cum dœmone, plures malitias specificas adiunctas sibi, regulariter, habet: ergo, vt confessarius illas cognoscat, necessario debet pœnitens talern diuinationem ex expresso pacto ortam confiteri. Consequentia liquet, antecedens verò probat latissimè Suarez libro 2. oit. capite 8. à numero 22. usque ad finem capituli: habet enim aliquando speciem Idololatriæ, si dœmonem tanquam quid diuinum recognoscatur diuinator, adorando illum cultu solius Dei. Sic illum adoret, solo Sanctorum cultu, habet speciem Idolodulie. Si dœmonis responsum tanquam certum, & infallibile credatur, continet speciem hæresis; &c. Sic tenent omnes Authores citati pro affirmativa sententia, præcipue Suarez, loc. citat. Sanchez numero 14. adiuncto 26. Bonacin. & Trullench. nec credo nil aliud voluisse, quam nos hic dicimus. Legantur attente.

## Quæstio XIV.

An, necessario sit in Confessione exprimere rem per quam quis diuinavit; an scilicet, per aërem, aquam, ignem, terram, &c.

**A**ffirmandum videtur. Quia Præstigium est alterius speciei à Necromantia, Pythonica, Geomantia, & ab aliis speciebus supra q. 5. numeratis: ergo per quas harum facta sit diuinatio, necessarium est confiteri: Et ideo sic ex parte tenet Valentia 2. 2. disp. 6. q. 12. pun. 2.

Sed probabilius longe, Respondeo. Negatiue. Quia probabilius longe est, quod omnes diuinandi modi, licet materialiter, & in genere naturæ, sint diuersæ spei; in genere tamen moris, formaliter, non sunt, nisi eiusdem speciei. Quia nullus diuinandi modus ex relatis, habet speciale deformitatem, contra rectam rationem; sed omnes eandem, ideoque accidentarium est diuinationi, quod potius in una, quam in alia re fiat. Sic Suarez cap. 9. numer. 5. & capite 10. numero 2. & 3. Caiet. tom. 1. opusc. tractat. 5. de Confess. q. 3. Azor. tom. 1. libro 9. capite 12. q. 3. Victoria, Sotus, & Rodriguez, quos sequitur Sanchez libro 2. capite 38. numero 14. Henriquez libro 5. capite 5. numero 3. Lessius libro 2. capite 43. dubitat. 5. Filliuc. tract. 24. capite 3. q. 10. numero 72. Reginald. libro 17. numero 165. & 166. Bonacina disputat. 3. q. 5. punct. 3. numero 21. Trullench. lib. 1. cap. 10. dubit. 3. num. 10. Lopus, par. 3. lib. 17. dist. 2. art. 4. diff. 4.

## Quæstio XV.

An, omnis diuinatio ad superstitionem pertineat?

**N**egant aliqui, eo quod superstitione consistit in voluntate attribuendi creaturæ Diuinum honorem: at sola diuinatio futurorum contingentium, pendentium à causa libera ad Deum pertinet: ergo sola hæc diuinatio est superstitione. Confirmatio. Quia si quis à dœmone scientiam aliquius occulti effectus presentis petat, non petit aliquid, quod eius potestatem excedat: ergo nullam ei tribuit diuinitatem: ergo neque superstitionem committit, tametsi grauissime peccet. Ita tenet Valentia 2. 2. disputat. 6. (non 3. vt legi apud Palaum) q. 12. punct. 3. & indicat Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 5. n. 28.

Sed probabilius, Respondeo dicendum, quod omnis diuinatio, siue tacita, siue expressa, sit vera superstitione. Ratio est, inquit Palaus, quia ex proprio diuinitatis iure, vult Deus, ut omnes creaturæ ad ipsum configuant, in eoque fidant: qui ergo, illo relieto, configueret ad suum inimicum, in eoque consideret, plane eius iuri diuini derogaret, & quod illius proprium est, vellet inimico tribuere: ergo committit superstitionem, & tacitam Idololatriam; & per hoc patet solutio contrariae rationis. Sic ille, disputat. 1. punct. 3. numero 12. ex S. Thoma 2. 2. q. 95. artic. 2. & Caiet. ibidem Suario libro 2. capite 8. à numero 16. & Sanchez libro 2. capite 38. à numero 9.

## Quæstio XVI.

An, Diuinatores alligantes dæmones (v.g. in anulo) vel eos inuocantes, sint in ipso facto excommunicati?

**A**ffirmant aliqui Doctores: qui & probant ex cap. si quis Episcopus; & cap. Aliquani. 26. q. 1. & capite 1. q. 5. ubi fertur, contra prædictos, excommunicationem lata, non ferenda. Ideo sic sentit Martin. Delrio libro 4. cap. 2. q. 7. sett. 4. & id esse probabile ait Suarez lib. 2. de superstitione cap. 19. num. 5. Et tenuit antea Tabiena, verb. excommunicatio 1. casu 4.

Sed probabilius, Respondeo. Prædictos diuinatores, præcise, ut tales sunt, minimè esse ipso facto excommunicatos. Quia probabilius est, nullam esse in iure contra hos, excommunicationem latam, sed ferendam ut late probat Sanchez lib. 2. capite 38. numero 91. Suarez loc. citat. cap. 19. num. 5. Azot. tom. 1. libro 9. capite 26. q. 3. Lessius lib. 2. capite 43. dubitat. 5. numero 29. Sousa in Aphoris. Inquis. libro 1. capite 58. & libro 2. capite 2. numero 7. Trullench. libro 1. in Decalog. capite 10. dubitat. 3. fine. Lopus par. 3. libro 17. dist. 2. artic. 4. diff. 1. Palaus disputat. 1. punct. 13. numero 2. Bonacina. disputat. 3. q. 5. punct. 3. numero 12. & alij. Nota, notanter me dixisse, præcise ut tales sunt, quia certum est apud omnes, excommunicationem ipso facto incurrere, si hæresim simul incurvant, quod hæc tali delicto, (ut sape solet) adiungatur, ut vidimus.

## QVÆSTIO XVII.

An saltem, qui consulit Diuinos, ut aliquid occultum sibi detegant, ipso pacto excommunicatione incurrat?

**N**egandum videtur. Quia, ut nuper vidimus, Diuinatores alligantes dæmonem, aut ipsum inuocantes, noui incurunt excommunicationem ipso facto: ergo, à fortiori, non incident consulentes illos; patet, quia magis videtur subiectos esse excommunicationi alligantes dæmonem, aut ipsum inuocantes, quam consulentes ipsos Diuinos: sed illi non incurunt: ergo nec isti.

Sed hoc argumento non obstante, affirmantem partem tueretur LUPUS loc. cit. art. 4. diff. 1. Qui & probat ex c. si quis. 26. q. 5. vbi consultores excommunicatione ipso facto ligantur; etiamsi hæresim non habeant in intellectu. Ita ille ex Toletu lib. 4. sum. cap. 14. num. mihi 10. ibi: Atqui ipsos Magos consulit, & qui petit opera eorum excommunicatus est, ut habetur cap. si quis. Hæc Toletus.

Sed probabilitus, Respondeo: Nec ipsos consuentes Magos, esse ipso facto excommunicatos; sed excōmunicandos. Quia in c. si quis. cit. tam de Magis, quam de illos, consulentibus loquitur: atqui probabilius est, ut quæst. antecedenti est habitum, & docent ipsimet LUPUS & Toletus, quod Diuinatores, seu Magi, non sunt ipso facto excommunicati per dictum c. si quis. ergo neque erunt ipsi consuentes. Maior probatur ex verbis Textus, ait enim sic: Si quis Ariolos, Aruspices, aut Incantatores obseruauerit, aut phylacteris usus fuerit, anathema sit. Sic tenent Authores nuper citati quæst. antecedenti, præcipue Suarez c. 19. cit. n. 5. vbi ait: quod licet opposita sententia in rigore iuris loquendo, non sit improbabilis, propter illud verbum Anathema sit: tamen non videtur ita in consuetudine receptum; unde vel consuetudo derogavit huic iuri, vel certè cum sit optima legum interpres, ita verba illa, Anathema sit; interpretata est, ut perinde sonet, ac dicere, excommunicetur, anathematizetur; Quod autem hæc consuetudo sit, constat ex Glossis, & Doctoribus communiter, qui hanc censuram ibi non cognoscunt, tanquam iure ipso facto latam, sed ferendam. Hæc Suarez. Et ex illo Fagundez lib. 1. in Decal. c. 45. à n. 4. Nulla igitur est in iure Canonico pro Diuinatoribus, aut pro illos cōsulentibus, excommunicatio ipso facto: De iure autem vniuersique Diocesis aliud esse poterit, vnde vindæ erunt constitutiones illarum. Ut autem facilius, quæ infra dicenda sunt intelligentur, necesse erit prius aliqua de scientia dæmonum præmittere. Sit ergo,

## QVÆSTIO XVIII.

An, dæmones cognoscere, & prædicere possint omnia futura, quæ à causa naturali necessariò proueniunt?

**R**espondeo, ut certum, Posse. Quia cum huiusmodi futura habeant causam determinatam, & infallibilem, quam per species innatas perfectissimè cognoscunt, consequenter certitudinaliter futura ab illa dependentia norunt, & prædicere possunt. Ideoque prædicere queunt, Lunam tali die esse eclipsandem, oppositionem Solis, & Luna tali hora habendam, &c. Sic omnes Legantur Palaus disput. 1. R.P. Leand. in Decalogum.

punct. 3. num. 2. LUPUS in edit. Inquisit. par. 3. lib. 16. diff. 1. artic. 1. diff. 1.

## QVÆSTIO XIX.

An, item possint dæmones cognoscere, & prædicere omnia futura, quæ habent causam determinatam, fallibilem tamen?

**R**espondeo, etiam ut certum: Posse cognoscere, & dicere, verum non certitudinaliter, sed conjecturaliter tantum. Quia licet hæc futura habeant causam determinatam, est tamen fallibilis: & ideo non infallibiliter, sed solùm conjecturaliter possunt futura ab illa dependentia scire. Vnde sicuti Astrologi prædicunt ex cœli motibus, tempestates, pluuias, &c. non omnino certò, sed ex coniecturis; eo quod saepe ex causis inferioribus, aut superioribus impediri possunt; Ita & dæmones hoc modo scire talia futura possunt. Sic LUPUS loco citato.

## QVÆSTIO XX.

An deinde, futura contingentia, & à libera voluntate pendentia, possint certo dæmones cognoscere, & prædicere?

**R**espondeo, Tanquam certum: Non posse certo cognoscere, & consequenter, nec certo prædicere. Probatur. Tum, quia hæc futura habent causam indeterminatam, & fallibilem, & ad opposita vertibilem: Tum, quia de his futuris scientiam habere, est proprium Dei, iuxta illud Isaiae 41. Annunciate nobis, quæ futura sunt, & dicemus quod Dij estis vos. Tum, quia si dæmones scirent huiusmodi futura, scirent etiam, an essent victuri hominem, quem tentant; at hoc est falsum; ergo. Minor probatur: nam cum superbissimi existant, nunquam tentarent, nisi eum, quem præscirent sibi succumbendum: atqui ex Scriptura Sacra, & etiam experientia, constat, quod tentant etiam illos, à quibus saepe vincuntur, ut constat de Sancto Iob, & aliis: ergo. Sic omnes. Legantur D. Thom. in 2. dist. 7. qu. 2. art. 2. D. Bonau. ibidem par. 2. art. 1. quæst. 3. Delrius lib. 4. cap. 2. quæst. 2. Pereira lib. 3. de Magia cap. 5. Sanchez lib. 2. Sum. c. 38. numer. 7. Bonacini. disput. 3. quæst. 5. punct. 3. num. 1. LUPUS, & Palaus locis citatis & alij.

## QVÆSTIO XXI.

An saltem, huiusmodi futura contingentia, & à nostra libera voluntate pendentia, possint dæmones, si non certo, saltem probabilitè coniectare, & prædicere?

**R**espondeo, ut certum: Posse, id coniectare probabilissime. Primo, quia suo ingenio angelico, & scientiæ acumine, facilissime cognoscunt ad quid inclinetur affectio nostra. Secundo. Quia cum omnium hominum temperamenta, affectusque optimè norint, & quid ex ipsis oriri soleat, possunt ex iis pendentia à libero arbitrio probabilissime coniectare. Tertio. Quia sagacissimi sunt, & Deo permittente, phantasma hominum variis modis perturbare possunt, & quid ex ipsis oriri soleat, prædicere. Sic Sanchez, Delrius, Pereira Palaus, & LUPUS loc. citat.

*diff. 2. Qui diff. 3. ex D. August. in lib. de natura dæmonum, septem capita assignat ex quibus Dæmones aliqua futura absolutè, certo norant. Primum ex subtilitate ingenij naturalis. Secundum, ex experientia temporum. Tertium ex celeritate motus. Quartum ex potentia; quia videlicet, possunt morbos immittere, illosq; prædicere. Quintum ex signis corporis v.g. ex pulsu, vena, &c. Sextum, ex signis animi, nempe, ex passionibus. Septimum, denique ex Prophetis, ac scriptris.*

## Q VÆ S T I O XXII.

*An, Deus, ministerio Angelorum bonorum, dæmonibus interdum reuelet futura, que postea bi prædicere possunt?*

**R**Espondeo, ut certum: Quod Sic. Quia Deus mirabilis sua sapientia, etiam per inimicos suos, suam implet voluntatem, ut ait D. Bonac. in 2. diff. 7. par. 2. in exposit. litera. Sic ipse, & Sanchez libro secundo, capite 38. numero 7. per hæc verba: *Potest etiam Dæmon certo futura nosse, quæ diuinatores edocet ex reuelatione Dei per Angelum sibi facta. Sæpe enim Deus ad malum pœna inferendum, vt solet dæmonis ministerio; atque ita id dannum, ac durationis tempus ei reuelat. Quare potest tunc dæmon initium, & finem eius mali certo prædicere.* Sic Sanchez ex Delrio, & Pereira. Lopus loc. cit. diff. 4. Qui bene addunt, quod si morbus aliquis fiat ex maleficio, qui ex pacto cessaturus est, sublato signo, poterit etiam tunc dæmon, finem morbi certo prædicere.

## Q VÆ S T I O XXIII.

*An, dæmon posset naturaliter scire, si longa vel breuis, debeat esse cuiusque hominis vita?*

**R**Espondeo, Posset scire, quamvis non omnino punctualiter. Primum patet: quia dæmon apprimè noscit cuiusque hominis complexionem, humorumque dispositionem; videturque intra corpus illius occulta, quæ ad breuitatem, & longitudinem vitæ conferunt: ergo. Secundum, etiam constat: quia longitude, vel breuitas vitæ, non pendet solummodo ex complexione naturæ, sed etiam ex ciborum qualitate, aëris temperie, quæ ex placito cuiusque variari potest. Imò & ex aliis accidentibus, quæ inties continentur, &c. ergo. Sic communis. Legantur Jacobus Sprenger in *Malleo Malefic.* p. 2. q. 1. c. 2. Lopus loc. cit. art. 3. diff. unica, quam finit aduertendo, perspicacius quolibet peritissimo Medico, posse dæmonem cognoscere ex signis, quanto tempore infirmus probabiliter sit superuicturus, quo tempore moriturus: quod non dubito.

## Q VÆ S T I O XXIV.

*An, dæmones cognoscant certo omnes cogitationes hominum, quæ in actum externum prodierunt?*

**R**Espondeo, tanquam certum: Cognoscere. Quia vident. Qua ratione certo sciunt occultissima furtæ, res perditæ, thesauros defossos, secreta consilia, aliaque occulta peccata à voluntate prodeuntia, & palam patrata verbis, scriptis, aut factis. Sic

Dæmon disquis. Mag. lib. 4. capite 2. quæstio. 2. Valentia 2. 2. disput. 6. quæstio. 12. punct. 3. Sanchez libro 2. Sum. cap. 38. sub num. 7. Lopus par. 3. lib. 17. diff. 1. artic. 2. diff. unica.

## Q VÆ S T I O XXV.

*An etiam dæmones certo possint cognoscere cogitationes hominum, ac deliberationes voluntarias?*

**R**Espondeo, tanquam certum: Non posse certo; sed solùm probabilitatem conjectare ex iis, quæ in corpore, tam interius, quam exterius apparent, & ex verbis, scriptis, & aliis clandestinis consiliis. Sic Delrios, Pereira, Valentia, Sanchez, Lopus, loc. citat. & omnes.

## Q VÆ S T I O XXVI.

*Quomodo diuinatores à dæmons doceantur ea, quæ diuinant, & prænunciant?*

**R**Espondeo, edoceri; vel, quia dæmon assumpta visibili forma diuinatores alloquitur: vel absque ullo visibili aspectu, formati in aëre verba, quæ à solis diuinatoribus audiantur: vel quia tradit scripturam in qua continetur res prænuncianda: vel quia in somniis, aut in vigilia, disponit ipsorum phantasmatu idonea ad futura repræsentanda, atque incitando diuinatores, ut repræsentata per phantasma prædieent: his, & aliis modis similibus possunt dæmones instruere homines, & occulta docere, ut prædicent. Sic omnes. Legantur Pereira lib. de Magia cap. 5. num. 35. Sanchez loc. cit. num. 8. Filliuc. tract. 24. cap. 5. quæst. 4. num. 116. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 3. num. 3. Trullench. lib. 1. in Decalog. cap. 10. dub. 3. numer. 5. Palau tom. 3. tract. de superst. disput. 1. punct. 3. num. 3.

## S. II.

*De diuinatione cum pacto Dæmonis expresso.*

## Q VÆ S T I O XXVII.

*Quot modis potest quis postulare expressè à dæmoni, cognitionem rerum occultarum?*

**R**Espondeo, quod duobus modis. Primo simpliciter petendo à dæmoni, ut aliquid dicat, & doceat, absque illa promissione, vel pacto ex parte petentis. Secundo, cum expresso pacto, quo petens se obligat ad obsequium dæmonis, si res occultas eum doceat. Quod fieri solet etiam duobus modis: nempe, & cum solemnitate, & sine illa. Cum solemnitate fit, quando dæmon appetit in similitudine Monarchæ in forma visibili, magna dæmonum comitante caterua, in solo sedens; coram quibus omnibus vtrinque fiunt promissiones, homo promittit se negaturum Deum, omnia Sacra, & res Sacras, & non confessuū Sacerdoti, saltem hoc peccatum: Dæmon vero illi promittit futura, & occulta reuelaturum, & votis illis per omnia satisfactum:

Sine solemnitate fit etiā duobus modis. Primo, cum solus

Solus cum solo dæmone pactum init. Secundo, cum ipse solus non audet coram dæmone comparere, idem promittit pro tertia persona. Ex parte etiā dæmonis, duobus modis potest esse expressa responsio. Primo, simplex, & sine pacto. Secundo, etiam cum pacto acceptando obligationem ad docendum de occultis. Hæc omnia Trullench. lib. 1. in Decalog. capit. 10. dubit. 3. num. 7.

Quot verò modis contingat diuinatio cum expressa, & implicita dæmonis inuocatione diximus supra quæst. 5. & 6. In quo consistat eius malitia. qu. 8. Et quo iure sit verita, & an semper sit mortal is, quæst. 9. & sequentibus.

## Q V A E S T I O   XXVIII.

An, sit licitum, inter aliquos pacisci; vt, qui prior obierit, alteri appareat, cum de suo statu certiorem facturus?

**A** Firmandum absolutè videtur. Quia id olim à nonnullis factum legimus, Et præcipue à Sancta Lutgardi, vt tradit Surius tom. 3. lib. 2. vita eius, mense Junio. Et id ipsum accidisse cuidam fratri Dominicanu narrat Fr. Anton. Senensis in Chron. Dominicanorum. Is enim commorans in Conuentu Zamorano, cum quadam fratre Minorita familiari suo, simile pactum iniuit. Et cum Minorita prior moreretur, post dies aliquot apparuit Dominicanu mensas in refectorio sternenti, expiatorium ignem circumgestans. Et ad cruciatus sui indicium, mensam ligneam manu tetigit, eamque ibi impressit: & ad perperuam rei memorium, paruolo clatio ferreo manet obiectam. Igitur huiusmodi pactum facere non illicitum videtur.

Sed clarius, Respondeo dicendum, quod licet secundum se consideratum, hoc pactum culpa careat; tamē, quia res est valde periculosa, & valde obnoxia dæmonum illusionibus, ideo omnino ab illo caendum sit. Sic Summa Confessor. lib. 1. tit. 11. q. 23. Ciriuelo lib. 3. de superf. cap. 11. D. Thom. & Betzitius, quos citat, & sequitur Delrius lib. 2. disquis. Magic. q. 26. scđt. 7. vers. secundo sequitur vbi addit, vix fieri posse, vt pactio hæc culpa curiositatis vacet. Sanchez lib. 2. Sun. cap. 38. num. 25. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 36. numer. 14. Bonac. disput. 2. quæstio. 5. punct. 3. num. 3. vers. ex quo fit. Trullench. lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 3. num. 5.

## Q V A E S T I O   XXIX.

An, animæ vel beatæ; aut in Purgatorio, vel in inferno detentæ; viuentibus aliquando apparent?

**N**egant in primis Hæretici Atheistæ, qui animæ negant immortalem, & corpori volunt eam commori. Negant deinde alij nostri temporis hæretici; eo quod hac mortuorum apparitione fidem Purgatorij (quod negant) valde stabilire percipient. Negant demum aliqui ex Catholicis, existimantes nunquam defunctorum animas viuentibus appareat, sed semper esse dæmones, aut malos genitos hominum deceptores, aut mere somnia. Ita Hieronymus Magius, & Tiræquellus, apud Martinum Delrium, mox citandum.

Sed plusquam certum, Respondeo. Aliquando apparere, Deo ita permitente, ad eius honorem, & ad multorum hominum utilitatem. Hanc veritatem

R. P. Leand. in Decalogum.

latè probant Delrius lib. 2. disquisit. magicar. quæst. 26. per sex sectiones. Thyreus lib. de spirituum apparitionib. à capit. 11. per multa capita. Sanchez loc. citat. num. 23. Bonac. num. 3. Fagundez loc. citat. numer. 11. per hæc verba: *Decet enim, & utile est, hoc fieri aliquando, Deo optimo Max. permittente, & ad multorum hominum utilitatem, & ad Dei honorem, & instantum illius indicium. Nam haæ apparitiones multum nobis afferunt utilitatis: docent enim in primis nos, animas nostras corpori manere superstites; ostendunt, non esse impossibilem corporum resurrectionem; clamant Deum non viuos modo, sed etiam mortuos iudicare; nobis manifestant, certa esse loca, in quibus nocentes indefiniter discrucientur, innocentes immortali suo fruantur.* Hæc Fagundez. Legatur Torreblanca libro 4. spirit. practicar. capite 7. à numero 23.

## Q V A E S T I O   XXX.

An, Magi queant, operâ dæmonum, veras defunctorum animas nobis ostendere?

**A** Firmandum videtur, eo quod anima Samuelis, ope dæmonis, & pacto Pythonissæ, ad vitam reddidit, & loqua est, vt narrat Scriptura 1. Reg. 28. ergo.

Sed, vt certum, Respondeo. Non posse. Ratio est. Quia, si Defunctorum animæ in cœlo sunt alienum est à diuina maiestate, & statu illo beatifico, vt dæmonibus subiificantur: si in purgatorio existunt, sunt in via beatitudinis, & ideo, ob eandem causam, non docet eas dæmonibus subiici: Si in inferno moratur, nequit diabolus finire eas egredi, sine nutu Dei, sine quo nec ipse potest. Sic docent omnes Catholicæ Legantur D. Thom. 1. p. q. 117. art. 4. ad 2. Victoria de Magia n. 17. Martin. Delrio lib. 2. q. 26. scđt. 7. Suarez lib. 2. de superfit. cap. 10. num. 14. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 44. dubit. 3. num. 23. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 36. num. 11. Palaus tom. 3. tract. de superfit. disput. 1. punct. 1. num. 4.

Ad rationem verò pro parte affirmante adductam, Respondeo vel quod non fuerit vera anima Samuelis: sed spectrū, aut imago eius, id est, dæmon, qui nomine Samuelis loquatus fuit ad Saulem, dicens illi, *Tu, & filij tuī cras tecum eritis,* vt volunt D. August. lib. 2. ad Simplician. quæst. 3. & ad Dulcidium libro 8. quæst. 9. & in lib. 2. de mira spect. capit. 11. & in lib. quæst. veter. testam. quæst. 27. Tertulian. in lib. de anima capit. 57. vbi cum exaggeratione ait: *Absit, ut anima cuiuslibet Sancti, nedum Propheta à dæmonia credamus extractam, edicti, quod ipse Sathan transfigaretur in Angelum Lucis.* D. Iustin. etiam, Cyrillus, Guillel. Parisiens. & Turrecrementa, apud Fagundez vbi infra vel, si fuerit vera anima Samuelis, quæ loquuta fuit sauli, vt probabilius sentiunt Basilius, Ambrosius, D. Thom. Lyra, Caiet. Abulens. Carthusian. Gaspar Sanchez, Bellarmin. Martin. Delrio, Suarez, Pereira, Lessius, Sotus, & alij, quos afferunt, & sequuntur Fagundez loc. cit. n. 11. & Palaus n. 5. tunc dicendum est, Samuelem non apparuisse ex vi magicæ artis, perente id Pytonissa, sed ex iussu, & voluntate Dei; tunc ad gloriam Samuelis; Tum ad maiorem, Saulis punitionem, quod constat, ex eo quod vere præuenit incantationes Pytonissæ, & apparuit priusquam magicæ illæ preces, quæ longissimæ esse solent finirentur; vt colligitur ex admiratione, & metu, quem Pytonissa concepit aduentu Samuelis. Non enim timuit mulier assueta spectris, quia unum viderat; sed, quia præter morem

G g 2

ante

ante finitas, & vix incepertas incantationes, ac proinde non ex vi illarum, Samuel appareret. Legantur Torreblanca lib.4. spirit.pract.capite 7. à num.23. Raphael de la Torre tom.2. questio.95.artic.3. disp.3. & alij apud ipsos.

## Quæstio XXXI.

An, semper mentiatur dæmon, quando in dæmoniaco ait, se alicuius defuncti damnati, vel non damnati, animam esse?

**R**espondeo, ut quid certum, semper mentiri. Quia anima defuncti nunquam alterius hominis corpus ingreditur. Sic Abulens. cap.8. in Matth. qu.124. ad 1. Deltrius post libr.6. disquisit. magic. in Anacephaloſi, monitione 10. Sanchez lib.2. sum. capit.38. num.24. Fagundez loc.cit.nu.13. Qui bene aduertunt, minimè esse faciendum, quod dæmon seu dæmoniacus, fieri præscribit, si opus consilij sit: quia dæmonibus, nec bona consulentibus, auscultandum est; eo quod omnia bona, quæ nobis consulunt, ad malum semper tendant, & ad nostram perniciem. Si vero opus, quod præscribit, fuerit ex præcepto, v.g. Charitatis, vel iustitiae, tunc faciendum est illud; non quia à dæmoniaco præscribitur, sed quia ad id faciendum tenemur.

## Quæstio XXXII.

An, dæmones hominibus apparere soleant, fingentes, se esse animas defunctorum; ut inde occasionem arripiant trahendi illos in aliquem errorem?

**R**espondeo, ut certum solere apparere, dicendo, se esse animas defunctorum; vt se aspicentes errore aliquo decipient, vt mortuos infament. Sic docent D. August. lib.10. de Cisit. Dei c.11. Chrysost. homilia 29, in Matth. D.Thom. 1. p. quest.117. artic.4. ad 2. Victoria de Magia questio.4. Sotus lib.8. de Inst. quest.3. artic.2. col.4. Ciruelo, de superflit. p. 3. capite 8. Pedraza in Sam. in 1. præcep. §. 10. Martinus Delrio libro 2. disquis. Magic. questio. 26. sectio. 7. ibi: Ideo solent ipsi has vices subire dæmones, qui per mundum adhuc vagantur, & has animas amant mentiri. Neque id mirandum, cum in Angelum quoque lucis se transfigurent, & in B. Virginem Deiparam, vt in Biturigibus vibiscis, cum illic degerem scio accidisse; Imò, & in ipsum Christum Dominum, qualis Beato Martino apparuit diabolus. Sic Deltrius. Sanchez loco citat. num.23. Fagundez num.8. & 9. Bonacina num.3. & alij. Qui bene notant in his casibus, nec esse illis credendum, quamvis bona consulunt, petantve suffragia sibi fieri; aut aliquid restitui; nam id ex malitia efficiunt, gratia postea facilius decipiendi.

## Quæstio XXXIII.

An dentur aliqua signa, quibus discerni queat, an hæ apparitiones sint à Deo, vel à bonis, vel malis Angelis?

**R**espondeo, Dari aliqua signa, è quibus, quæ certiora sunt, primo loco prænunciabimus. Primo ergo, si ad signum crucis, vel ad nomen Sanctiss.

Iesu, vel Mariæ, vel aliorum Sanctorum, eorumve Reliquias: agni Dei ceream effigiem; lustralem aquam, panem, salem, cereumve benedictum, aut alia huiusmodi Sacramentalia, vel Catholicæ religionis symbola, fugiant, aut detestentur; factæ visiones, & malorum Angelorum spectra censenda sunt.

**S**ecundo, si postquam lemle exegerunt quod volebant, adhuc frustra rursus apparent, & sint importuniores, tunc etiam sunt censendæ factæ visiones, & malorum Angelorum. Nam verè animæ, cum illis quis satisficerit, vel non redeunt, vel semel tantum, vt gratias agant: contra verò dæmones iterum, atque iterum redeunt, vt causas ex causis, funiculum nestant, vel ad obsidendum, vel ad grauiter decipiendum.

**T**ertio, Si se dedicat, animam esse alicuius damnati, mentitur, & dæmon est: nam (vt supra est habitum) vix unquam damnatorum animæ sinuntur egredi.

**Q**uarto, Si præterit apparitioni causam falsam, vel malam, vt, v.g. si dicant, se apparere coactum, vel coniurationis magicæ, vel vt reuelet curiosa, vel parum necessaria, aut quæ nesciri expediret, dæmon est.

**Q**uinto, Si apparentis oratio sit falsa, superstitionis, malesuada; desperati, superbi, libidinosi, vindictæ appetentis, aut aliter perturbati præferens animi ostentationem; dæmon est.

**S**exto, denique, si appareat forma non humana, formosâ, & bene formatâ, sed tetra, deformi; aut vili; vel canis, serpentis, suis, draconis, aranei, buffonis, vel similium; vel nigri Aethiopis; malus est genius. Si vero forma humana, bona; Angeli, vel Beati, vel Dei; tunc consideranda est operatio, nempe, si ex genere suo sit improba, vt blasphemie, superstitionis, mendacijs, homicidijs, luxuriæ, &c. vel dolosa ex modo apparitionis; vt si primo congressu latitiam adferat animo, & tranquillitatem; postea horrorem, turbationem, desolationemve; aut etiam magno cum fœtore, strepitu, vel clade habeat; dæmon est. Sic Martinus Delrio lib.2. q.26. sect.3. vers. Metum nobis. Legantur de hac re etiam Petrus Thyreus, lib. de Spirituum apparit. capit.16. Peltanus de Purgatorio. cap.5. Fagundez lib.1. in Decalog. capite 36. numero 12. Binfeld. in Confess. Maleficar. Torreblanca de Iure Spirit. practicabil. libro 1. capite 2. à numero 38.

## §. III.

De diuinatione per astra, absque expressa invocatione dæmonis.

## Quæstio XXXIV.

An, Astromonia, & Astrologia differant inter se?

**R**espondeo, dicendum, quod quamvis primo asperetu, videatur non differre, cum ambæ versentur circa Astra, tamen cum aliter, & aliter circa illa versentur, non parum differunt ab inuicem. **A**stromonica namque, veluti Theorica, aut speculativa scientia, agit in vniuersali de Astris, nempe, de eorum quantitate, mensura, distantia, situ, motu, & cutsu; de eclipsis, de polis, de hemispheriis, de circulis, de retrogradationibus, & similibus. **A**strologia vero veluti Scientia practica, agit de astrorum effectibus,

Cibus, au proprietatibus, nempe, de temporibus ad plantandum, seminandum, & scindendum aptis, & similibus. Sic omnes. Legantur Thom. Garzonius in sua Platea vniuersali discursu 39. Torreblanca de Iuris Spirit. pract. lib. 7. cap. 2. Ignatius Lopus, in editum S. Inquisit. part. 3. libro 18. dist. 1. artic. 1. dif. 1. & alij.

## Q V A E S T I O XXXV.

An, Astrologia sit duplex, altera naturalis, & altera Indiciaria?

**R**espondeo, Esse duplēm, naturalem, videlicet, & Indiciariam. Naturalis est illa, quæ ex situ, cūsu, motuque astrorum ea, quæ naturaliter contingunt; vt ecclipsim, pluuias, grandines, ventos, sterilitatem terræ, pestem & similia coniectat. Et hæc Astrologia conducit valde medicinæ, agriculturæ, & nauigationi.

Indiciaria vero Astrologia est illa, quæ ex aspectu, & obseruatione astrorum coniectat futuros euentus fortuitos; ac ex libero arbitrio pendentes, præterita, etiam, & præsentia prorsus occulta. Sic Sanch. lib. 2. Sum. c. 38. n. 27. Trullench. lib. 1. in Decal. c. 10. dub. 4. n. 1. Fagundez lib. 1. in Decal. c. 38. à n. 1. Torreblanca lib. 7. c. 1. & 2. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 11. à num. 2. Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 6. & alij infra adducendi.

## Q V A E S T I O XXXVI.

An, Astrologia indiciaria in aliquas, quasi in species, diuidatur partes?

**R**espondeo, Diuidi in quatuor. Prima versatur circa Revolutiones, & prædicet totius anni bello, paceque vicissitudines, aeris salubritatem, annona, præmium, morbos animantium, &c.

Secunda, continet Magisterium Nativitatum, & docet quod sigillatum homini tota vita obtinet; vt certo morbo, certo tempore, mense, aut die, hominem peritum: vxorem diuitem, aut pauperem pulchram, aut deformem ducturum: fore gratum tali principi; ad certam dignitatem promouendum, &c.

Tertia, vocatur Electionum, & docet quid in singulis rebus consulto, & utiliter faciendum, quid omitendum, quando ædificandum, quando nauigandum, equitandumve, quando egrediendum, manendumve domi, & denique quando, & quibus in locis singula facienda, vt feliciter cedant.

Quarta, est Imaginum sculpendarum, planè præstigiosa. Sic Martin. Delrius lib. 4. disquis. Magic. c. 3. quest. 1. vers. Astrologia huius, & lib. 1. cap. 4. & ibi questio. 1. vbi agit de hac parte quarta Astrologie. Sanchez loco citato.

## Q V A E S T I O XXXVII.

An, Astrologia naturalis coniectans, & præducens effectus, qui naturaliter eveniunt ex motu astrorum, influentiis, & concursu Planetarum, sit licita?

**R**espondeo, vt certum: Esse licitam. Quia effectus naturalis prouenientes ab astris, vt sunt, se- R.P. Leand. in Decalogum.

renitates, tempestates, pluiae, vel grandines, venti, & similes, optime cognosci possunt per suas causas; nempe, per cœlos, & altra: ergo licita erit talis prædictio. Igitur Astrologus naturalis non omittet peccatum superstitionis huiusmodi effectus coniectans, & prædicens. Sic omnes. Suarez lib. 2. de superst. cap. 11. à num. 5. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 2. 8. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 38. num. 1. Trullench. lib. 1. cap. 10. dub. 4. n. 2. Palaus disput. 1. punt. 4. n. 11. Villalob. p. 2. tract. 8. diff. 4. num. 2. & alij.

## Q V A E S T I O XXXVIII.

An saltēm peccet mortaliter Astrologus, qui præfatos effectus, plus certo prædictit, quam ex astris colligere potest?

**R**espondeo, dicendū, quod ex se, & secluso damno extrinseco, solum peccet vitio veniali imprudentiæ, temeritatis, seu mendacij. Sic ex Suario, Sanchez lib. 2. Sum. cap. 38. num. 29. his verbis: *Quia si hec omnia prædicantur ab Astrologis, maiori certitudine, quam sciri possunt, erit peccatum temeritatis, & imprudentiæ, seu mendacij, non excedens culpam venialem, nisi cederet in alterius præjudicium; tunc enim esset mortale. Quod bene docet Suarez cap. 11. num. 5. & 12. Quia cum coniectent ea ad quæ astrorum aspectus se extendit, nulla interuenit supersticio, sed erit error temeritatis, & mendacij: sicut si erraretur in conclusione physica, afferendo eam certiorem, quam sit.* Hæc Sanchez. Sic etiam Fagundez loc. cit. num. 6. Trullench. sub num. 2. Palaus num. 1.

## Q V A E S T I O XXXIX.

An licite possint Astrologi naturales, ex astrorum aspectu, considerando nativitatis punctum, prædicere certo temperamentum, conditionem, inclinationem, & qualitatem cuiusvis viventis?

**R**espondeo, vt certum. Non posse licite hæc vt certa prædicere. Quia aspectus Astrorum necessarius ad horum iudicium ferendum, non potest perfecte cognosci. Tum quia rapidissimus cœli motus efficit, vt constellatio prius prætereat, quam ab Astrologis annotari valeat. Tum, quia ab aliis causis dependent. Tum etiam quia saepe impediuntur. Tum deniq; quia esto quod Astrologi perfecte cognoscerent aspectus astrorum in puncto nativitatis regnantes; non tamen cognoscere possunt astra regnanta in puncto conceptionis: sed ad temperamentum viventis, non minus, immo potius, efficacius conducunt astra conceptionis, quam nativitatis, quia fetus tenuot est, & facilior penetratur: ergo. Sic omnino Palaus disp. 1. punt. 4. num. 3. & antea Suarez lib. 2. de superst. cap. 11. num. 9. Lessius lib. 2. cap. 43. dubit. 6. à numer. 3. 2. Sanchez lib. 2. Sum. capit. 38. numer. 19. Martinus Delrius lib. 4. disquis. Magic. cap. 3. quest. 1. concl. 3. Fagundez libro 1. in Decalog. capit. 38. num. 9. Trullench. lib. 1. cap. 10. dub. 4. num. 3. Legatur Torreblanca lib. 7. Iuris Spirit. pract. cap. 8. per totum, vbi late de hac agit materia.

## QVÆSTIO XL.

*An sit peccatum mortale, ex genere suo, inclinationem alicuius pueri, ex astris tanquam certam nuntiare?*

**A**ffirmat Trullench. n. 3. cit. his verbis: *Imo, si inclinationem, tanquam certam ex astris nunciaret, non careret culpa. Tum propter rationem dictam in conclus. superiori. Tum, quia hic maius periculum imminet falsitatis, & introducendi aliquam superstitionem, qua inuoluit etiam predicationem actuum humanorum.* *Filliuc. tract. 24. cap. 4. q. 3. n. 85. non tamen explicat quale peccatum sit: at cum maximum sit periculum incidendi in superstitionem videtur peccatum mortale ex genere suo.* Hæc Trullench.

Sed probabilius, Respondeo: ex genere suo, non esse mortale, sed veniale tantum temeritatis, vide-licet, imprudentiae, seu mendacij. Sic Sanchez, Suarez, Fagundez & Palau, quest. 38. citati. ubi, ut vidimus, affirmant talem prædictionem non excedere culpam venialem, nisi casu, quo cedat in alterius præiudicium.

## QVÆSTIO XLI.

*An saltem, ex Astrorum aspectu, posset Astrologus, si non certo, saltem conjecturaliter, aut tenuissima probabilitate, obseruata pueri natuitate, prædicere naturalem inclinationem eius futuram; ut propensionem ad iram, ad mansuetudinem, ad libidinem, & similes passiones?*

**N**egat adhuc Fagundez lib. 1. in Decal. c. 38. n. 10. his verbis: *Nihilominus animaduerto, hanc conjecturam vix posse peruenire ad cognitionem probabilem, nemus certam. Quia cum potentia sensitiva, que pendent ex complexione, & temperamento hominum, obedient voluntati illorum, nil certi ex hoc potest coniectari: imo & nil vere probabile.* Ita ille.

Sed clarius Respondeo, Primo. Non est per se malum, nec vniuersaliter prohibitum, nec aliquo iure positio damnum, ex stellarum constellacione, obseruata pueri natuitate, conjectare temperamentum eius, & ex illo naturalem inclinationem futuram, & propensionem ad iram, &c. Probatur: iqua inclinatio, & propensio hominis ad hos, vel illos effectus, magna ex parte fundatur in naturali corporis temperamento, & complexione: atqui licet potest Astrologus conjectare ex stellarum constellatione, temperamentum, & complexionem pueri: ergo & eius propensionem. Sic late, & optime docet, ex D. Thoma, Suarez lib. 2. de superst. cap. 11. numero 8. Fagundez etiam, omnino ex illo, num. 9. & alij.

Respondeo, Secundo. Licet inclinatio naturalis futura alicuius pueri, nequeat ab Astrologo, vt certa, nemus omnino probabilis prædicti: potest tamen ab illo annunciarci conjectura aliqua aut vt ita dicam, tenuissima probabilitate. Sic Palau disput. 1. cit. punct. 4. num. 3. in principio, & probat ratio Suarui adducta pro prima responsione.

## QVÆSTIO XLII.

*An Astrologi Iudicarij, qui ex astris evenitus ex libero hominis arbitrio pendentes, certo prenunciant, mortalem superstitionem committant?*

**N**egarunt quidam Astrologi Iudicarij existimantes, talem prædictionem esse licitam & approbatam. Probabant Primo ex illo Genes. 1. vbi sermo diuinus de stellis agens, ait: *ut sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* ex quibus verbis colligebant, quod astra, & si non sint causæ futurorum eventuum, certa tamen sint signa eorum. Secundo id intendebant probare ex illo Isaia 34. complicabuntur, sicut liber, cœli. Vbi per cœlum multi intelligent firmamentum, & dicunt, firmamentum vocari librum, eo quod tanquam in libro, sic in cœlo, cuius stellæ sunt characteres, futura. Legantur signata. I. tenuisse Plotinum, Porfirium, Origenem, Eusebium, Augustin. & Iulium Sirenium, refutat Delrius lib. 4. disquis. Magic. cap. 3. quæst. 1. vers. sed non defunt. Quibus addit Torreblanca, ubi infra Ambrosium lib. 4. Hexamer. cap. 4. & Possevnum in Bibliotheca lib. 15. cap. 15.

Sed vt quid certissimum, Respondeo. Mortalem superstitionem committere. Ratio est: Quia cum eventus isti liberi, non existant necessario, & certo; non possunt certo, & necessario præsciri: ergo neque prædicti, aut annunciarci. Deinde, quia hi effectus non continentur in astrorum potestate, quibus etiam, nec Deus, nec humanum arbitrium subsunt: ergo ex eorum aspectu nequeunt ab Astrologis certo praenunciarci.

Secundo hæc veritas constat ex Scriptura Sacra, qua docet rerum futurarum præscientiam solius esse Dei, Isaia 41. vers. 23. & monet, ne quis discat Astrologiam, vel ab astris sibi timeat, & has vanas esse leges Infidelium Ierem. 10. vers. 2. *A signis cœli nolite timere, quæ timent Gentes, quia leges popolorum vanæ sunt.*

Tertio. Quia oppositum, tanquam graue peccatum damnant Canones, & Concilia, vt constat ex cap. illud. cap. illos. cap. sed & illud 26. quæst. 2. cap. Ig. tur. 26. quæstio 3. cap. Non liceat. 26. quæstio 5. capit. 2. de Sortileg. Concilij Trident. Index librorum prohibitorum Reg. 6. & nouissime ex Bulla Sixti V. contra Astrologos.

Quarto damnat etiam Ius civile l. Nemo, & l. Et si Cod. de Malef. & Mathemat. & l. Mathematicos. C. de Episcopali audientia, quibus & ars interdicta, & codices incendio, & vientes damnantur exilio, imo & morte plectuntur l. 5. de Malef. & Mathemat.

Quinto oppositum damnant Patres communiter Basil. D. Chylost. Ambros. Augustin. D. Gregorius, vt refutat Delrius, infra Theolog. omnes cum D. Thoma 2. 2. q. 95. art. 5. Legantur Delrius lib. 4. disquis. Magic. cap. 3. qu. 1. Suarez lib. 2. de superst. cap. 11. à num. 3. Pereira de Magia toto lib. 3. Sanchez lib. 2. Sum. c. 38. à num. 30. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 38. num. 2. & 7. Trullench. lib. 1. in Decalog. cap. 10. dubit. 4. à num. 4. Tamburin. lib. 2. in Decalog. cap. 6. §. 1. n. 13. Palau tom. 3. tract. de superst. disp. 1. punct. 4. à n. 4. Torreblanca lib. 7. l. ur. spirit. cap. 3.

Ad auctoritatem Sacrae Scripturæ, & Patrum adductam pro opposito, optime respondet Delrius. Legatur.

## QVÆSTIO XLIII.

An saltem immunis sit à superstitionis peccato, Astrologus, qui ex astris, dictos futuros euentus, non certò, sed probabiliter tantum, prædictit, & prænunciat?

**A**ffirmatiuam sententiam tenere multos, & graues Doctores, his verbis dicit Palauus: An liceat ex astris hos futuros euentus, & occulta facta prædicere, non certò, sed probabiliter tantum, affirmant Caiet. 2.2. q.95. art.5. paulo post princip. verf. In articulo eodem, & in fine. Valentia disp. 6. q. 12. pun. 3. vers. iam vero. Martin. Delrio lib. 4. disquis. Magic. cap. 3. quæst. 1. concl. 2. Toletus lib. 4. sum. cap. 15. numero 6. Et moueri possunt: quia naturaliter vñusquisque suam naturalem propensionem, & inclinationem sequitur: sed hanc inclinationem astra non leuiter conducunt: ergo ex illis saltem probabiliter vñusquisque facta enunciari possunt. Hæc Palauus punct. quarto citat. numero quinto sed an bene citet hos Authores pro hac parte infra quæst. 45. videbis. Igitur,

Vt certum respondeo, Non esse immunem à superstitionis peccato Astrologum, qui ex Astris euentus, seu effectus, à libero arbitrio pendentes, adhuc probabiliter tantum, prædictit, ac prænunciat. Ratio est. Quia certum est, quod ex astris, humana industria, deduci non potest cognitio probabilis horum liberorum effectuum. Tum, quia astra non sunt causæ immediae liberorum effectuum; sed ad summum naturalium inclinationum. Tum, quia contra propriam inclinationem, & propensionem peruersam, vñusquisque Dei auxilio adiutus procedit: ergo ex regulis Astrologiæ nequit inuestigare fututorum euentuum cognitio probabilis: ergo solum restat, quod illam quis haberi possit ex doctrina dœmonis, & eius auxilio, non quia ipse dœmon ex astrorum aspectu colligat, quid homo libere facturus sit; cum hoc sit illi impossibile; sed quia ipse dœmon, vt artem suam coimmodes, & discipulos ad se petrahat, in malumque confirmet, sub regulis Astrologiæ futura prædictit, quæ tamen ipse, vt sic prædicta succedant, manum apponit. Sic communiter DD. & in primis Valentia punct. 3. cit. vers. si autem huiusmodi. Martin. Delrio lib. 4. cap. 2. quæst. 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 11. numero 31. Lessius lib. 2. de Inst. cap. 43. dub. 6. numero 42. quos omnes citant sic, & sequuntur Sanchez libro secundo cap. 38. numero 33. & ipsem Palauus loc. cit. numero 5. Trullench loc. cit. numero 6. Tamburin. numero 18. cuius verba quæst. sequenti apponam.

Nec Doctores, pro prima sententia à Palauo relati, oppositum docent; nam solum afferunt, quod si quis per astrologiam vellet cognoscere aliquid contingens liberum, iudicando tamen illam cognitionem esse incertam, & solum coniecturalem, non esse mortale, sed veniale solum, quod & aduertunt Sanchez, & Tamburin. loc. citat. ille numero 33. hic 41.

## QVÆSTIO XLIV.

An ad minus sit immunis à peccato Astrologus, qui futuros predictos euentus probabilitè prædictit; casu, quo non solum ex astris, sed etiam ex aliis circumstantiis persona; nempe, temperamento, qualitate, & conditione, illos probabiliter colligat futuros?

**N**egant adhuc nonnulli DD. existimantes, etiam in hoc casu, peccare mortaliter, ob rationem à nobis nuper allatam.

Sed probabiliter certè Respondeo. Tunc Immunem esse Astrologum à peccato, saltem mortali. Sic ex Sanchez num. 33. docet Tamburinus lib. 2. in Decalog. cap. 6. §. 1. num. 1. 8. his verbis: Dices secundo, saltem futurum mortale, si hæc ut probabilia, nec solum ut coniecturalia prædicerent? Respondeo, ita docet Sanchez, quia sic transcendit vis astrorum, que solum coniecturas leues pariunt, non probabilitatem. Addit item (attende nunc) id ita esse, quando, ut probabilia ex meritis Astris prænunciantur: si enim cum astris considereretur temperamentum persona, qualitates, circumstantia, &c. tunc non est saltem mortale aliquid liberum contingens probabiliter afferre, quia hec non est (inquit) diuinatio, sed prouidentia. Hæc ex Sanchez n. 33. Cōsentit Castro Palauus punct. 4. cit. num. 6. Facile ergo poterit à peccato recedere Astrologus, eumque consulens, si dum hec, ut probabilia enunciari, non astra solum consideret, sed predictas circumstantias. Cognitis enim v.g. persona nobilitate, ingenio, bonis moribus, bona, grataque indole, & similibus; statim ac videt portendi per astra hunc fore v.g. prælatum, poterit ut probabile prænunciare, eum si Clericatum assumat, Romæ in Curia versetur, litterisque, ac bonis artibus operam natet, fore ut in Prælatum eligatur. Hucusque Thom. Tamburinus. Tenuereque antea Suarez, & Lessius, apud ipsum Sanchez, & postea, Trullench. num. 6. cit. & Filliuc. tractat. 24. capit. 4. quæstio 6. numer. 93. ubi ait, quod huiusmodi coniectura, non spectet ad diuinationem, sed ad naturalem Astrologiam.

## QVÆSTIO XLV.

An, denique, posset absque mortali, Astrologus prædicere, ex astris solum, liberos futuros euentus; & si non certò, nec probabiliter, ut diximus, saltem coniecturaliter?

**A**ffirmant Caiet. Valentia, Delrius, & Toletus relati à nobis supra Sanchez n. 34. & Castro Palauo num. 6. quos omnes citat, & sequitur Tamburin. lib. 2. in Decalog. cap. 6. §. 1. num. 14. ita dicens: Imò ex Toletu, Valentia aliisque, si quis per Astrologiam vellet cognoscere aliquid contingens liberum, indicando tamen illam cognitionem esse incertam, & solum coniecturalem, non est mortale, nisi in casu, quo quis in suis actionibus, præsertim maioris momenti, vt vellet hac Astrorum regula ad aliquid faciendum, vel vitandum, modo magis mox declarando num. 20. Hæc Tamburinus.

Sed ego clarius, Respondeo. Posse absque mortali Astrologum ex Astris solum, prædicere liberos futuros euentus; si id faciat coniecturalitet solum, & non ferendo absolute de futuro euentu iudicio, secluso scandalo, aut aliis circumstantiis. Quia tunc solum pronunciat tales effectus, tam tenuissima

coniectura, & certitudine, qua sciri possunt per astra. Sic citati Authores præcipue Palaus *num. 6.* citat. Candidus *tom. 1. disquis. 15. articul. 1. dubit. 4.* dicto 6. qui & citat D. Thom. *2. 2. q. 95. art. 5. in fine Diana tom. 1. tract. 15. Resol. 58. & alij.*

## QVÆSTIO XLVI.

*An, hac prædictio coniecturalis tenuissima futurorum euentuum liberorum, fuerit iure antiquo prohibita, atque, ut superstitiosa, damnata?*

**R**Espondeo nec fuisse iure antiquo prohibitam nec ut superstiosam, damnatam. Quia nullo iure veteri id cauetur. Et ideo ut quid certum id docent, & supponunt communiter DD. cum D. Thoma *1. p. q. 115. art. 4. ad 3. & 22. q. 95. art. 5.* legantur Sanchez *lib. 2. summa cap. 38. num. 34.* Candidus *to. 1. disquis. 15. art. 1. dubit. 4. dicto 6.* Lopus *in editum S. Inquisit. par. 3. lib. 18. diff. 3. art. 2. diff. 6.* Rodriguez *in sum cap. 7. num. 1.* Tamburin. *lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. num. 16. & 17.*

## QVÆSTIO XLVII.

*An saltem hac coniecturalis, & tenuissima prædictio futurorum liberorum euentuum, iure novo, videlicet, Motu Sixti V. prohibetur?*

**N**Egat Castro Palaus *disp. 1. de superst. punct. 6. num. 8.* docens, minimè voluisse Sextum V. hanc coniecturalem prædictionem futurorum euentuum, suo Motu prohibere. Tum, quia solum pernitosam diuinationem à diabolo inuentam prohibere voluit. Tum etiam, quia hæc coniecturalis, & dubia prædictio futuri euentus, non est prædictio illius absolu-tè; sed solum est prædictio illius, sub quadam te-nuissima coniectura contingentia, quod potius est prædictio contingentia quām effectus: ergo &c. ita ille. Cui nimis fauet Sanchez *loc. cit. n. 16.* licet n. 34. oppositum dicat.

Sed probabilius respondeo dicendum, quod prohibeatur, & si non pro foro interno, vt statim, saltem pro foro externo. Probatur ex verbis coti-stitutionis Pontificis: *Statuimus ( inquit ) contra facientes iudicia, & nativitates hominum, quibus defuturis contingentibus, fortuitisque casibus, aut aetioribus, ex humana voluntate pendentibus, aliquid affirmare audent, etiamsi id non certo affirmare afferant, aut protestentur, &c. Inquirant, & procedant, & in eos severius canonicius puniendus, & aliis eorum arbitrio animaduertant.* Hæc Pontifex cuius no-tanda sunt verba; & præcipue illa; etiamsi id non certo affirmare afferant, aut protestentur. Sic sentiunt Sanchez *cap. 38. cit. num. 34.* Suarez *lib. 2. cap. 11. num. 30.* Salus *1. 2. quest. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 8. numer. 80.* Graffius *lib. 2. Suar. decis. cap. 5. numer. 19.* Fatinac. *de heresi quest. 181. num. 59.* Candidus, & Lopus *loc. citatis.*

## QVÆSTIO XLVIII.

*An, prefatus Motus Sixti V. contra Astrologiam iudicariam, obliget, non solum pro foro externo, & judiciali; sed etiam pro foro conscientiae?*

**A**ffirmant obligare pro vtroque foro, Sanchez Salas, Graffius & Farinac. loc. cit. Necnon Homobonus *de examine Eccles. p. 1. tractat. 6. cap. 5. quest. 22.* Flavius Cherubin. *in compendio Bullar. tom. 2. constitut. 17. Sixti V. schol. 1.* Peirinus *tom. 2. constitut. 9.* Pauli V. *§. 2. numer. 24.* Candidus *loc. cit. dicto 7. & Lopus diff. 7.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 4. numero 2.* in fine. Vbi ipse, & Lopus *loc. citat.* per incuriam, scribunt obligare pro vtroque foro, ex vi Bullæ Pij V. lege ergo, Sixti V. ita etiam sentiunt Machado *tom. 1. lib. 2. p. 3. tractat. 6. docum. quinto numero quinto* Acacius March. *tom. 1. summe verb.* Adiunacion. *Resol. 24. numero 6.*

Sed æque probabilius respondeo solum obligare pro foro externo, & judiciali, & non pro foro conscientiae. Ratio est. Quia Motus Sixti V. non loquitur cum Astrologis; sed solum cum inquisitoribus, ut in foro externo procedant contra illos. Vnde quidquid licitum erat de iure antiquo, aut absque mortali poterat quis prædicere ante Bullam prædictam Sixti V. licitum erit nunc, aut saltem absque mortali poterit quis nunc prædicere, præculo scandalo, aut aliis circumstantiis vitiosis. Quænam vero futura contingentia, & qua ratione, licita erant prædicere ante dictam Bullam, ex supra habitis colliges. Igitur hanc nostram sententiam tenent in primis (& à fortiori) Palaus *loc. cit. n. 8. & 9.* Suarez *lib. 2. de superstit. cap. 11. num. 30.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 12. pun. 1. in fine & pun. 3. col. 3. versu. si autem: Martin. Delrio disquis. magic. lib. 4. cap. 2. q. 3. & cap. 3. quest. 1.* Diana *tom. 1. tract. 15. Resol. 5. 8. & apud illum, Molfesius in sum. p. 1. tract. 11. cap. 7. numero 120.* Naldus ( non Maldonatus vt citat Acacius, ) *in sum. verb. Astrologus numero 4.* & Raphael de la Torre *2. 2. q. 95. artic. 5. disput. 2.* Tamburin. *lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. numero 16.*

## QVÆSTIO XLIX.

*An, Domini Inquisidores, possint in foro extero, procedere contra Astrologos iudicarios omnes?*

**R**Espondeo ut certum: Posse. Quia ad minus, hoc onus est illis injunctum à Sexto V. Pontifice. Sic tenent omnes DD. pro vtraque, sententia citati, & docet præcipue ex illis, iis verbis, Acacius, *tom. 1. verb. adiunacion. Resol. 24. num. 8.* Que pñedan ( dice ) los Inquisidores proceder contra los Astrologos iudicarios, consta de la Constitucion de Sexto V. y lo dicen muchos Doctores como son Alfonso de Leon in tract. offic. & potest. Confessar. *p. 1. recollect. 22. num. 15. cap. 30.* Sousa in Aphorif. inquisit. *lib. 2. cap. 28. numer. 15.* Escortia in Bull. Pontif. Epito. Theor. 361. & Peyrin. in prinal. Minim. *to. 2. constit. 9.* Pauli V. *§. 2. n. 23. p. 7.* Otros. La rason es porque son muy perniciosos à la Republica, los tales Astrologos iudicarios, y son causa de muchos supersticiones se presume, tienen algún pacto con

## Q V A E S T I O L I I .

el demonio: ni les puede servir de escusa, el protestar, que lo que dicen, no lo tienen por cierto, por que siempre se ha de presumir, lo dizen para librarse de las penas contra ellos puestas en el derecho. Hæc Acacius, & antea Diana tom. 1. tract. 15. Resol. 58. in fine Palaus loc. citato num. 9.

## Q V A E S T I O L .

An, coniecturalis ex Astris prædictio futurorum euentuum, excusari posse à mortali de facto, & in praxi?

**N**Egat Suarez capit. 11. cit. num. 30. dicens, in tali prædictione non deesse grauem culpam, saltem ratione scandali, & speciei mali, cum præsumptione iuris, & de iure. Idem sentit Salas loco supra cit. & Palaus num. 9. ibi: Quocirca, raro à culpa mortali excusari potest quælibet ex astris coniecturalis prædictio, quantumuis dubia, quia nunquam talis præsumitur, sed potius creditur firmitatem habere. Negant etiam Sanchez & alij qui docent motum Sixti V. obligare pro foro etiam conscientiæ.

Alij dicunt, posse excusari à mortali, vt casu, quo quis per Astrologiam vellit cognoscere aliquod contingens liberum, iudicando tamen illam cognitionem esse incertam, & coniecturalem ita Toletus, Valentia, & alij citati q. 43. & 45.

Sed ego probabilius Respondeo posse à mortali excusari in casu posito ab authoribus huius secundæ sententiæ; dummodo absit scandalum, & alia quæcumque species mali, ratione quorum vix à mortali de facto excusari poterit, vt bene docent Authores primæ sententiæ.

## Q V A E S T I O L I .

An peccaret mortaliter, qui in suis actionibus regi se vellet per ea, quæ ab Astrologis illi prædicantur?

**R**Espondeo, Cum Tamburino dicendum, Quod vere peccaret mortaliter, si id cum infallibili credulitate ficeret. Imo eodem modo peccaret, si vellet in suis actionibus semper, vel frequenter à prædictis Astrologorum cognitionibus, seu prædictionibus regi: quia est signum certæ credulitatis adhibere; vel periculum in illam incendi, commerciique cum dænone. At semel, vel iterum, & quidem sub incertitudine euentus, non transcendent culpam venialem; quia non videtur magna deordinatio aliquid aliquando operari ob spem, vel timorem etiam leuem alicuius rei. Sic ille, ex Sanchez lib. 2. sum. cap. 38. num. 21. & 22. Concluditque numerum 20. his verbis: Certe, eum, cui prædictitur, modo dicto, Prælatura, non condemnarem, saltem de mortali, si adire Romanum velit; ad illam sub aliqua spe, non vero certitudine, expectandam: nec hominem, cui prædictum ex Astris fuit, ipsum hoc anno periclitaturum in aqua, si eo tempore à nauigando abstineat: nec eum, cui morbum anno v. g. vigesimo primo suæ atatis, ratione nuptiarum, comminatur astra, si eas tunc respuat celebrare: nec illum, cui ex iisdem nunc promittitur fortunatus negoti euentus, si nunc illud aggrediatur. Hæc enim, non ut certa, sed solum ut coniecturalia, modo explicato, credere, atque expectare, non videtur ullum prohibitum. Hæc omnia Tamburinus.

An sit peccatum mortale, consulere Astrologos ad furtum occultum, Thesaurum, &c. inuenienda?

**R**Espondeo ut certum: Esse mortale. Quia hæc nequeunt scire per astra: ergo dæmonis auxilio id norunt. Sic omnes. Legantur Suarez libro 2. de superst. capit. 11. numero 27. Sotus libro 8. de Iust. question. 3. art. 2. ad 3. Nauarrus in sum. capit. 11. numero 30. his verbis: Duodecimo, peccat mortaliter, qui interrogat, vel vult interrogare diuinos, sive diuinatores, circa aliud furtum, vel quidpiam aliud secretum, vel id ipsum, sortibus, aleis, charis, libris, cribro, astrolabio tentat aliquid cognoscere Deuteron. capit. 17. Non inueniatur in te, qui Pythones, ac diuinos consulat. d.l. Nemo. C.de Malef. & Mathem. Sic ille ibi & antea n. 28. Sanchez lib. 2. cap. 38. n. 36. & omnes.

## Q V A E S T I O L I I I .

An adhuc effet mortale, consulere Astrologos ad furtum occultum, aut aliud delictum sciendum; si effet certum, tale delictum per Astra cognosci posset?

**R**Espondeo ut certum dicendum, quod adhuc effet mortale, vt optime docet Sotus loco cit. versic. In his autem Astrologis: his verbis: Enimvero quamvis eis (idest, Astrologis) gratis, imo contra veritatem demonstrata, concedamus, quod occulta possint per suam scientiam inuestigare; nihilominus eius usum ad hoc applicare, vt occulta criminia renelent, est nouum peccatum, idemque mortale, & gravissimum contra iustitiam. Est enim occulitos peccatores, præter ordinem iuris, infamare. Demus enim perinde Astrologum scire quis furtum, aut adulterum, aut homicidium fecit, ac si proprius oculis vidisset, profecto nihilominus gravissimum illis peccatum est, & reipublicæ pernicioſissimum, illum detegere, & renelare. Præterquam quod ad nihil aliud valet, quam, vt inter homines infamia, & iurgia seruentur: quandoquidem Indici neutiquam licet, sola indicio Astrologi, contra quempiam procedere. Neque enim tranquillus status reipublicæ in hoc consistit, vt occulta crimina, nisi ordine seruato iuris inuestigentur. Fac nullum crimen committi posse occultissime, quin illico fieret manifestum, profecto neutiquam homines vivere possent. Si autem Astrologis illa daretur fides, nullum effet occultum. Igitur quamvis verissima semper dicent, ob hoc ipsum, essent citius è reipublica exterminandi, nisi se continearent, ne ullum unquam infamia denotarent. Hucusque Doctissimus Sotus. Quem citat & sequitur Sanchez lib. 2. sum. c. 38. n. 36. vers. Imo quamvis.

## Q V A E S T I O L I V .

An sint superstitionis homines illi, quos Hispani, Zahories vocant; qui dicunt, se videre quæ abdita sunt in visceribus terræ; veluti, venas aquarum & metallorum, Thesauros, cadaueræ &c?

**N**Egarunt esse superstitiones huiusmodi homines nonnulli Doctores antiqui, qui existimarent hac

hæc posse naturaliter fieri, vi humoris melancholici & consurgentium inde spirituum vehementia. Ira Pindarus, Tzetzes, & alij Poëtæ antiqui. Cælius Rhodiginus lib. 16. antiqu. lection. capit. 2. & Varius lib. 2. de fascino cap. 4. Quibus fauet Veracruz lib. 2. de Anima speculat. 2. in fine, dum ait; se non audere hanc sententiam dampnare; eo quod nouerit viros, alias probos, affirmantes, se dicta videre.

Sed ut certum, Respondeo, Esse malos, ac superstiosos dictos Zahories, si dicant se visu corporis penetrare corpus opacum, quale est terra, & quæ ibi sunt abdita, & abscondita videre: quia cum impossibile sit, visus aciem corpus tam densum penetrare; plane cognoscitur, cognitionem talium rerum ope dæmonis haberi. Secus esset dicendum, casu, quo ex effectibus sensibiliter apparentibus, vt ex aliqua herba, aut ex vaporibus, aut exhalationibus mane, & vespere illic exspiratis, & naturaliter venas aquæ, aut metallorum significantibus, dicant, & prædicent huiusmodi res: quia tunc non erit superstitiosum hæc prænuntiare, cum non ex mediis improportionatis, cognitionem inuestigent, nec aliquid quod humana potentia cognosci non potest, prænuntient, & dicant. Sic Sanchez lib. 2. sum. c. 38. num. 37. Qui bene colligit, reos esse culpæ mortalis consulentes huiusmodi Zahories, circa ea, quæ sola dæmonis ope hæc prædican. Martin. Delrio lib. 1. disquisit. Magicar. cap. 3. qu. 4. vers. Adiiciam his, pag. mibi 19. & in Commentar. ad Medeam ver. 231. Palauis disp. 1. de superst. pun. 4. n. 10.

#### §. IV.

##### De Diuinatione per Somnia.

#### QVÆSTIO LV.

An, Somniorum genus, in Oraculum, Visionem, Somnum, insomnum, & Plantasma, adæquate distribuatur?

**R**espondeo, Adæquate in hæc quinque capita distribui à Macrobio lib. 1. de Somno Scipion. & postea ab Augustino lib. de Spiritu, & Anima cap. 25. quos refert, & sequitur Azorius tom. 1. lib. 9. cap. 17. versu, Porro Torreblanca etiam lib. 8. spirit. Iur. cap. 6. num. 3. & alij.

Quid verò horum singula sit, accipe. Oraculum enim est, cum Deus, vel alia Sancta, grauisque persona, in somniis apparens, aperte quid euenturum, vel non euenturum; faciendum, aut vitandum denunciat. Huiusmodi generis fuit Somnum Abimelech Genes. capit. 20. vers. 3. Abrahæ Genes. 28. v. 12. Samuelis Reg. 2. cap. 3. vers. 3. Sancti Iosephi, & Magorum Mathe. cap. 1. & 2.

Visione est, cum id quod quis in somno videt, eodem modo, quo vidit, aut apparuerat, postea euénit. Huius generis fuit somnum Ioseph Genes. cap. 37. v. 5. Iacobi Genes. 46. v. 2. Gedeonis Iudic. 7. vers. 13. Danielis cap. 2. v. 1. & cap. 7. v. 1.

Somnum dicitur, quod tectum figuris, & velatum ambagibus, non nisi interpretatione intelligi potest. Tale fuit somnum Nabuchodonosoris, Daniel. c. 2. Medianitæ Iud. 7. Pincernæ, & Pistoris, Genes. 40. v. 4. Pharaonis Genes. 41. ver. 1.

In somnum datur, quando id, quod fatigauerat vigilarem, se se ingerit dormienti; sicut sunt curæ

cibi, vel potus, vel studia, &c. iuxta illud Ecclæ sia st. cap. 5. Multas curas sequantur somnia.

Phantasma denique est, quando quis vix dormire cœpit, & adhuc se vigilare existimans, aspicere videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, à natura, seu magnitudine, sive specie discrepantes, variasque tempestates rerum, vel lœtas, vel turbulentas. Sic ex Macrobi & D. Augustino, docet Azorius loc. cit. Torreblanca loc. cit. a num. 4. ex Maldero de virtutib. Theolog. tract. 10. cap. 7. dubit. 7. Lessio de Inst. lib. 2. cap. 43. dub. 8. Legatur Suarez lib. 2. de superst. cap. 13. vbi ait, has omnes, quas distinximus, voces, re vera idem esse, præter Oraculum quod ad diuina insomnia magis applicatur.

#### QVÆSTIO LXI.

An, Somnia in Diuina, Naturalia, & Dæmoniaca, apte diuidantur?

**N**egat in primis Plato in sympos. dicens, omnia somnia dæmoniaca esse; nec ullo modo dari naturalia, aut diuina. Negat deinde Aristoteles lib. de diuinatione per insomnia, quatenus docet nulla à Deo immitti hominibus somnia, & ideo non dari somnia. Sed horum sententia ex locis Sacrae scripturæ nuper adductis, aperte reiecta manet. Tandem Hypocrates lib. de Insomniis, vera somnia in naturalia, & diuina diuinit, certe melius aliis Philosophis: sed adhuc non adæquate. Igitur.

Vt qui certum Respondeo dicendum, quod somnia apte, & adæquate tribus Authoribus adscribuntur; nempe Deo, Naturæ, & Dæmoni; & ideo rectissime diuiduntur in Diuina, Naturalia, & Dæmoniaca. Sic docent in primis D. August. de Civit. Dei lib. 8. cap. 20. & 21. D. Gregor. Nissen. lib. de Opific. hominis. cap. 13. D. Reg. Magnus lib. 8. Moralium c. 13. & lib. 4. Dialog. cap. 48. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 13. num. 6. Martin Delrio lib. 4. disquisit. Magic. cap. 3. quæst. 6. (non 5. vt leges apud Torreblanca post concl. 2. Pereira de Magia lib. 1. Torreblanca cap. 6. cit. numer. 15. Sanchez lib. 2. sum. c. 38. & num. 49. & omnes, præcipue supra cit.

#### QVÆSTIO LXII.

An, omnia somnia sint approbanda, vel omnia reprobanda?

**A**ffirmarunt, approbanda esse omnia somnia, Pythagoras, Plato, Chrysippus, Tambelicus, Plotinus, Porphyrius, Platonici, & Stoici, eo quod putauerint, omnia somnia esse vera, & ea aliquid diuinitus portendere.

Negarunt è contra alij, dicentes omnia esse reprobanda; eo quod omnia existimarent vana & inutilia esse. Ita Epicurus, Metrodorus, & Epicurei omnes, & Cinici Philosophi, & apud Romanos Cicero libro 1. de diuinat. Qui omnes vniuersam ex somniis diuinationem è medio sustulerunt.

Sed ut certissimum Respondeo: Nec omnia somnia esse approbanda, vt dixerunt Authores primæ sententiae: nec omnia reprobanda, vt putauere authores secundæ. Sed alia attendenda, vt naturalia; alia amplectenda, vt diuina: alia vero reprobanda, vt diabolica. Sic iam omnes DD. præcipue infra adducendi, inter quos legatur Lupus in edict. Inquisit. part. 3. lib. 17. dist. 3. art. 3. diff. 1. Qui tamen male citat omnes

omnes Authores antiqui, cum oppositum tueantur.  
Legantur Azor. tom. I. lib. 9. cap. 17. in pr. Torreblanca c. 6. cit. à n. 1.

## Q V A E S T I O L V I I I .

*An, licitum sit investigare, à qua causa somnia proueniant, an videlicet, à Deo, vel à causa naturali, vel à Dæmone?*

**R** Espondeo ut quid certum: Esse licitum. Quia in hac inuestigatione, solum intenditur veritatis cuiusdam cognitio, quæ utilis esse potest ad vitam componendam. Sic Palaus disp. I. de superstitione. punct. 5. num. 3. ex Pereira lib. 1. in Daniel. quest. 6. & de Magia lib. 2. quest. 7. Suatio lib. 2. de superstitione. c. 13. num. 6. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 50. & 51. vbi addunt Cassianum collat. 22. qui dicit veteres illos Manachorum Magistros, in perquirendis aliquorum somniorum causis diligenter esse versatos. Delrius lib. 4. disquis. Mag. c. 3. q. 6. concl. 3.

## Q V A E S T I O L I X .

*An, licitum sit diuina somnia, obseruare?*

**R** Espondeo ut certum: Non solum licitum, verum & conueniens, imo & necessarium esse. Quia immittuntur à Deo, vt ea nos doceant, monent, & corrigan, à malo absterrent, vt consolentur afflitos, & mœstos perfundant latitudinem &c. vt colligitur ex S. Scriptura loc. cit. quest. 55. cit. & ex illis docet Delrius lib. 4. cap. 1. quest. 2. in fine, vers. causa somniorum pag. mihi 130. ergo ea debemus obseruare. Verum est quod interpretatio horum somniorum, solum conuenit illis, quibus à Deo facta est interpretationis reuelatio, vt probatur ex verbis Danielis cap. 2. v. 27. Mysterium, quod Rex interrogat sapientes, Magi, Arioli, & Aruspices nequeunt indicare Regi; sed est Deus in cœlo, reuelans mysteria, qui indicant tibi &c. Sic omnes DD. Legantur Delrius lib. 4. cit. cap. 3. quest. 4. concl. 5. D. Thom. 2. 2. quest. 95. art. 6. Greg. Nissen. de Opificiis homin. cap. 33. Torreblanca lib. 8. cit. cap. 6. à num. 68.

## Q V A E S T I O L X .

*Qua de causa Deus, potius in somnis, quam in vigilia; docet, monet, corrigit, & reuelat futura?*

**R** Espondeo dicendum, quod dupli de causa. Primò namque; quia anima in vigilia reperitur curis distracta, circa exteriora; ac proinde reuelationibus, seu visionibus minus apta: è contra verò in quiete somni, vires suas collectas habens, sibi tota est præsens, & ideo aptior ad visiones, seu loquutiones capiendas.

Secundò. Quia homo in reuelatione plus se habet per modum suscipientis, quam agentis: atqui in somniis magis agitur, quam agit: ergo aptior est in somno ad illam recipiendam. Sic D. Bonavent. in 2. dist. 25. quest. ultima. Binsfeld. in comment. de Malefic. & Mathem. lib. 3. Lopus in edit. S. Inquisit. part. 3. lib. 17. dist. 3. art. 2. diff. 3. Torreblanca loc. cit. num 70. vbi ita ait: Deus enim persépe in somniis occultarum

rerum vaticinia inspirat, quia antea non exterminata funeste vacans, aptior est ad celestia hanrenda Numer. cap. 12. v. 6. Si quis fuerit inter eos Propheta Domini, in visione apparebo ei, aut per somnum loquar ad eum. Sicille.

## Q V A E S T I O L X I .

*An, dentur aliqua signa, quibus cognoscere possumus, somnia esse à Deo immissa?*

**R** Espondeo ut quid certum: Dari aliqua. Nam Primo cognoscere possumus somnia esse à Deo immissa, ex præstantia rerum, quæ per somnum significantur: vt si innescant homini, quæ solius Dei munere cognosci possunt, vt futura contingencia prælertim libera, arcana cordium &c.

Secundò, si somnia habeant illa à D. Iacobo (cap. 3. v. 17.) requisita, nempe, vt sint pudica, modesta, suavissima, boni consilientia, plena misericordia, & fructibus bonis &c. si inuitent ad simplicitatem, vnionem, & intimitatem cordis: ad detestationem peccati, & præteritæ vitæ confusionem. Si instigent ad aliquid, quod exemplis Christi, & Sanctorum magis assimileat, &c.

Tertiò si in somniis dictis, animus noster non turbetur, & semper aliquid doctrinæ, vel suavitatis percipiat, cum interna quadam alacritate, & utilitate nostra, vel communia, aut priuata.

Quartò possunt cognosci, ex illuminatione animi, qua Deus sic mentem hominis illustrare solet, & eius voluntatem afficere, vt ipsum reddat certiorē somnij talis authorem esse: vt scripsit D. Greg. lib. 4. Dialogor. cap. 48. & lib. 8. Moral. capit. 13. his verbis: Sancti viri, inter illusiones, atque reuelationes, ipsas visionum voces, & imagines, quodam intimo sopore discernunt, vt sciant quid à bono spiritu percipient, & quid ab illatore patiuntur. Legantur de hac materia Gerson tract. de probat. spirit. Pereira in Daniel lib. 1. Thyreus de apparit. spirit. Martin Delrio lib. 4. disquis. Magie. cap. 1. quest. 3. per sex sectiones, & cap. 36. q. 6. Torreblanca lib. 8. iuris spirit. pract. cap. 6. Lopus loc. cit. art. 2. diff. 2.

## Q V A E S T I O L X I I .

*An dentur etiam signa, quibus cognosci possint somnia esse diabolica?*

**R** Espondeo ut certum: Etiam dari aliqua. Et Primo si somnum, aliquid, etiam minimi, Sacrae scripturæ contradicit; tunc certum est à Dæmone esse immisum, non à Deo, iuxta illud Ioan. epist. 2. cap. 19. omnis spiritus qui solvit Iesum, à Deo non est. & D. Pauli ad Galat. 1. etiamsi Angelus de cœlo Euangelizauerit vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.

Secundò. Si iudeat aliquid contra Canones, vel constitutiones, vel regulas, vel alia præcepta Maiorum, certum est esse à dæmone.

Tertiò. Si inuitet ad scurrilia, vel carnalia, aut inuidia, & detractoria, & immodesta, aut vanam ostentationem, plane videtur esse à dæmone.

Quartò denique si animum turbatum relinquat, tepidum, & indispositum ad virtutes, clarum est à malo

malo spiritu immitti. Sic omnes authores citati & Suarez cap. 13. num. 24. Valentia 2. 2. disp. 6. quest. 12. punct. 3. Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 8. num. 52. Bonac. disp. 3. de primo precep. Decal. quest. 5. punct. 3. num. 7. Palaus disp. 1. punct. 5. num. 5. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 39. num. 16.

## Q V A E S T I O L X I I I .

*An, si quis dubitet; an somnium sit à Deo, vel à diabolo; credere debeat, ab hoc immisum esse?*

**R**espondeo ut certum, debere necessario credere somnium esse à Diabolo. Quia ex scriptura constat, extrinseca somnia esse contemnda, quæ non constat à Deo immissa. Nam iste est sensus horum verborum Eccles. 34. v. 6. *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne des insonniis cor tuum.* Adde, quod curiosa somniorum obseruatio, ad hoc discrimen agnoscendum, est superuacula: quia Deus (ut supra est habitum) quando somnia immittit, solet simul hominem certum reddere, tale somnium esse à se profectum, & cœlitus immisum fuisse. Sic Delrius lib. 4. disquisit. Mag. cap. 3. quest. 6. concl. 5. Sic etiam Palaus disp. 1. punct. 5. num. 6. his verbis: *Quoties probabile non est, somnium esse à Deo, peccatum, grane est ex illo prænotionem futuri euentus, vel alicuius effectus occulti colligere.* Sic tradunt omnes Doctores supra relati Suarez num. 15. Sanchez num. 52. Lessius numer. 52. Azor. lib. 9. cap. 17. circa finem Valentia disp. 6. qu. 12. punct. 3. ver. Tertio quoad somnia, & ratio est, quia somnium non potest effectum illum significare, nisi ex impositione cause superioris, scilicet Dei, vel dæmonis: si igitur probabile non est à Deo assumi ad significandum eadem effectum, restat, ut à dæmone significationem habeat: ergo ex tali significatione effectum prænuntiare, est se discipline dæmonis subiicere: ergo peccatur gravissime. Hucvsque Palaus. Trullench etiam lib. 1. c. 10. dub. 8. n. 8. Fagundez loc. cit. n. 17.

## Q V A E S T I O L X I V .

*An, saltem liber sit à peccato, qui probabiliter existimans, somnium esse à Deo; prænotionem alicuius futuri euentus colligit?*

**R**espondeo etiam ut certum: Tunc liberum esse à peccato: quia tunc non cum dubio, sed prudenter cum probabilitate operatur. Sic tenent, vt vidimus, Palaus, & cœteri Doctores ab ipso citati. Qui addunt rectè, satis esse probabile iudicium, arbitrio prudentis, vt credatur somnium esse à Deo. Legatur Suarez capit. 13. numer. 14. Fagundez lib. 1. cap. 39. num. 12.

## Q V A E S T I O L X V .

*Quæ, & Quotuplex sit causa somniorum naturalium?*

**R**espondeo dicendum, quod sit duplex, & utramque corporalis. Una est interior, & intrinseca somnianti; & alia est exterior, & extrinseca. Causa intrinseca, (quæ est præcipua causa naturalis somniorum naturalium,) nil aliud est, quam dispositio, aut affectio, seu temperamentum corporis humani,

ex quo formatur quidam motus in plantasia illi dispositioni, seu affectioni conueniens. Sic omnes DD. & præcipue Delrius lib. 4. cap. 3. quest. 6. sub conc. 2. qui his verbis, suam, & nostram propositionem explicat: *Corporalis intrinseca causa nascitur à presenti dispositione, & temperamento corporis, quod vel inedia exhaustum, vel crapula repletum, vel humore aliquo nimis prædominante agrescit: vel alio interiori viti laborat. Ex his causis, vel pacata, vel turbida, vel multiformiter varia somnia nascuntur.* Quibus sanguinis est copiosior, rosas somniant puniceas, crocum, horotos, coniuia, choreas, complexus, aërem; volatum, & lata omnia. Phlegmatici, mare, aquas, Galena, nauigationes, subversiones, onera grauanta, tardam, & impeditam à noxiis fugam. Colerici, colores flauos, rixas, pugnas, incendia. Melancholici, fumos, caliginem, tenebras, vagationes per loca sola, nocturnas oberrationes, tetra spectra, mortes, tristiaque cuncta. Quibus vesica humore plena, somniant de lacubus fluviis, imbris, & somniando nonnunquam impluunt ipsi in sahanas. Quibus dominantur, sinceri, prærique succi, putant in somnis voluntari se inter odoratos, suavesque flosculos: contra, in sordidis, cœno, cloacis, cadaveribus versari se, quorum in corpore humeros fætidi, putridique coaceruntur. Quibus viscido humore affecta, obstructæque sunt partes cerebri posteriores, illi comprimi, ac suffocari sibi videntur in somnis. Hucvsque Delrius.

Causa autem extrinseca, seu exterior corporalis somniorum, est corpus circumstans, seu aër ambiens; & impressio, seu influxus corporum cœlestium: quæ aliquando solent dormientis phantasiam ita immutare, vt ad illorum similitudinem somnia succedant. Sicut enim (ait Delrius) corpora cœlestia suo in materiem corpoream influxu: varias formas lapidum, metallorum, plantarumque gignunt: sic influendo inphantasiam, que organis corporeis est immersa, posse à cœlestibus corporibus produci species imaginabiles, effectui à corporibus illis cœlicis promananti conformes non est negandum. Sic ille. Legantur Arist. de somno, & vigilia Hippocrates, & Galenus. D. Thom. 2. 2. quest. 95. art. 6. D. Anton. 2. p. tit. 12. c. 1. §. 1. Suarez, Sanchez, Less. Palaus, & Trullench loc. cit. Torreblanca iuris spirit. pract. lib. 8. cap. 6. à n. 23.

## Q V A E S T I O L X V I .

*An sit licitum, ex somnis naturalibus, temperaturas corporis, illiusque humores, & affectiones coniectare?*

**R**espondeo ut quid certum: esse licitum. Quia tunc nil aliud facit quis, nisi coniectare, aut noscere ex effectibus, causas à quibus naturaliter procedunt: vt sic instantes morbos metuat, sequere præmunit, si illi locus detur. Nam quandoque tam vehemens, ac accelerata est causa, vt quando quis somniat aliquid sibi accidere, id re vera illi accidat; vt de illo, quem cum somniasset alterum crux sibi factum lapideum, mox ea corporis parte, paralyticum extitisse, refert Galenus lib. 1. Epidem. com. 3. Sic tenet praxis omnium Medicorum vt humorem prædominantem infirmi cognoscant, somnia inquirunt, vt constat ex Hippocrate lib. 6. epidem. & lib. de insomniis, Galenus lib. de præsagio ex insomniis, & lib. 3. de locis male affectis cap. 4. Sic tenent etiam omnes Theologi, præcipue D. Thom. & Anton. loc. cit. Azor. tom. 1. instit. moral lib. 9. cap. 17. Nauarr. in sum. cap. 11. num. 33. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 13. num. 6. Lessius lib. 2. de Inst. capit. 43. dub. 8.

dub.8. num.55. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 38. numero 49. Pereira in Danieleem q.6. & de Magia lib. 2. quæst.7. Delrius loc. cit. concl. 3. Palaus pun.6. cit. numero 2. Trullench lib.1. in Decal. cap. 10. dub.8. numero 5. & 6.

pit.10. dub. 8 sub num.8. Fagundez lib.1. in Decalog. c.39. num.14. vbi ait, quod Ethnici præmisso ieiunio in pellibus animalium cæforum dormire solebant, ut responsum in somniis à diis, vel potius à dæmonibus acciperent.

## Q V A E S T I O L X V I I .

*An, somnia, quæ nos crebrò infestant, territant,  
aut conturbant, licitum sit obseruare?*

**R**Espondeo ut certum: licitum esse, obseruare Rea, & animaduertere ex quibus causis accidunt, vt sic eam molestiam à nobis depellamus. Sic Delrius conc. 3. citat. his verbis: *Quando causa (somniorum, scilicet) est intrinseca & animalis (nempe, procedens ab anima, seu à cogitatione valde intenta vigilantis) possumus somnia obseruare, ut in posterum, studia, vitamque nostram, melius, & securius instituamus. Est, quem lectio, vel cogitatio diurna, fædis illusionibus tempore nocturno inquiet? excludat quanta potest cura similes cogitationes. Territant alium crebra somnia, & in pusillanimitatem, desperationem, vel quod aliud adiungit vitium? causas debet somniorum inquirere & remedia procurare, quibus liberetur.* Hæc Delrius, Peteira, & Suarez loc. citat. Sanchez numero 50.

## Q V A E S T I O L X V I I I .

*An peccatum graue superstitionis admittat, qui  
ex naturalibus somniis, futura contingentia  
dininat?*

**R**Espondeo ut certum: Admittere. Quia futura contingentia, & alia, quæ ex arbitrij libertate pendent, non dependent à causis naturalibus, aut temperie corporis, aut aëris ambientis: ergo per huiusmodi somnia naturalia, nequeunt futura contingentia cognosci: ergo si quis ex his somnis huiusmodi futura diuinet, necesse est, quod aut solum contingentia hoc faciat, aut cognoscat ex pacto cum Diabolo, qui tamen, ut supra est habitum, non nisi ex coniecturis adhuc dicta cognoscere potest. Sic omnes. Legantur Delrius loc. cit. conc. 3. vers. unde inferitur. D. Thom. Caiet. Valent. quos citat, Sanchez lib.2. cap. 38. num. 53. Trullench num.5. & 6. Lopus in edict. inquisit. par. 3. lib. 17. dist. 3. in fine.

## Q V A E S T I O L X I X .

*An item peccatum mortale superstitionis com-  
mittat, qui certo modo, aut situ, seu dispo-  
sitione, ad somnum se componit, ut sibi fu-  
turi euentus, vel effectus occulti per somnum  
renelentur?*

**R**Espondeo ut quid certum: Committere. Quia huiusmodi verè desiderat, ac expectat à dæmonio instrui: etiamsi dicat, nolle ab eo institui, sed à Deo: quia factio ipso, quod vanum est, dæmonem inuitat. Sic Suarez lib.2. de superst. cap. 13. num. 14. & 20. Lessius lib.2. de Iust. dub.8. num. 54. Sanchez num. 53. cit. Bonac. diff. 3. q. 5. punt. 3. num. 6. Palaus punt. 6. cit. sub num. 6. Trullench lib.1. in Decal. ca-

R.P. Leand. in Decalogum.

## Q V A E S T I O L X X .

*An, somniis sit danda fides, quando eorum ve-  
ritas, ipso euentu comprobatur?*

**R**Espondeo Minime esse dandam fidem. Sic Caiet. in 2.2. D. Thoma quæst. 95. articul. 6. vbi testatur, se nunquam somniis variis sibi contingentibus, fidem aliquam habere ausum, quamvis interdum eorum veritas effectu sit comprobata. Quid, vel casu res postea sic accidat, vel id, procurante dæmino, vt facilius ad fidem somniis habendam homines attrahat. Vnde, vt optimè Valentia quæst. 12. pun. 3. ad finem, in versiculo, cum igitur, ait, tunc, vel maxime, cœudem esse, ne somniis assentiamur, cum euentu comprobari videtur: propter rationem à Caiet. traditam. Hæc omnia ex Caiet. Sanchez loc. cit. num. 54.

## Q V A E S T I O L X X I .

*An credere aliqualiter somniis, & ex illis ali-  
qualiter timere aduersum; vel expectare  
prosperum; sit graue peccatum?*

**R**Espondeo, Regulariter loquendo, non esse graue peccatum. Sic Suarez lib.2. de superst. c. 1 3. n. 25. his notandis verbis: *Potest hoc peccatum credendi in somniis à grauitate mortali excusari, quando homo non omnino credit, rem in somno ostensam, esse veram, seu futuram; & nihilominus aliquid operatur ratione talis somniij, quod alias malum non est, nec contra precepta Dei, vel Ecclesia (et ita non potest obesse, potest autem prodeesse) ut evitetur aliquod malum, quod somnum minatur, vel quid simile: tunc enim, licet sit aliqua lenitas, vel simplicitas, aut nimia rimiditas, non appareat grauis malitia: quia ille non tam credit illud esse à Deo, vel esse verum, quam posse esse. In quo multo minus erroris est, licet multum sit vanitatis. At vero si quis ita sit obseruator somniorum, ut ordinarie per illas indica- tiones, vel diuinationes, in agendis negotiis gubernetur, non potest excusari à graui culpa & superstitione: nam hæc obseruatio auguriis comparatur.* Hæc omnia Suarez, & ex illo Tamburin. lib.2. in Decal. cap. 6. §. 1. num. 21. narrans casum notabilem, qui amico suo accidit. *Narravit (inquit) mibi quidam amicus, bis, vel ter ad monitum se olim fuisse in somnis à puella sibi incognita, ut ad certum locum accederet, ibique aliquantulum terram foderet: nam certo in ollam auro plenam incideret. Flexus ergo secunda seu terria admonitione, adolescentis ad locum se contulit, & ollam quidem inuenit, sed nigris carbonibus plenam. Inquiero, peccabitne hic mortaliter? Certè nequaquam propter doctrinam ex Suario modo allatam. Quod si sibi is persuasisset, puerum illam non fuisse quidem à Deo, sed à dæmonie immisam? Neque peccasset mortaliter; quia ipse cognitionem illius olla à dæmonie non inquisivit, sed solum scientia iam habita usus est; quod non esse peccatum, paulo post per occasionem dicam. Hæc Tamburinus: legantur Palaus loco citato punct. 6. in fine Nauarius capit. 11. numero 33. Lessius loco citato & Caiet verb. somniorum obseruatio. Trul- lench*

lensch. dubit. 8. citat. numero 7. Filliucius tractat. 24.  
cap. 5. numero 126.

## QVÆSTIO LXXII.

An, sit mortale peccatum superstitionis, fidem dare dæmoniacis somnis?

**R**espondeo ut certum: Esse mortale, & grauissimum fidem dare dæmoniacis somnis. Quia licet dæmoniaca somnia obseruare, vt fraudes dæmonum euentur, sit licitum; imo & salutare animæ, vt supra est habitum: at vero ad occulorum scientiam, vel eventus futuros eos obseruare, aut fidem eis dare, nec expedit. Quia ipsomet facto vult edoceri à dæmone, suóque magisterio subiici, quod est grauissimum scelus. Sic habetur in cap. Episcopi 26. q. 5. & docent omnes, legantur Authores citati, præcipue Delrius lib. 4. disquis. Magic. cap. 3. q. 6. concl. 4. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 8. num. 7. Filliuc. loc. cit. num. 122.

## QVÆSTIO LXXIII.

An, sit mortale, subiicere puluinariibus ægrotorum litia, aut subtus eorum lectum, caparum, boum, aut aliorum animalium, cornua, vt eos quietè dormire faciant?

**R**espondeo tanquam certum: Esse mortale superstitionis peccatum. Quia ibi quasi expressum pactum diaboli cernitur. Nam prædicta instrumenta nec habent vim à natura, vt somnum concilient, nec à Deo communicatam: ergo solum ex pacto dæmonis, qui propter huiusmodi pactum excitat humores in corpore, vt ægroti dormiant. Sic Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 39. num. 15. Qui bene excusat à mortali illum, qui id fecit propter ignorantiam, aut bono animo, & fide, & non credendo inibi adeste pactum.

## §. V.

De Diuinatione per sortes.

## QVÆSTIO LXXIV.

Quid, & quotuplex sit sors?

**R**espondeo circa primum, dicendum, quod sors nil aliud sit, aut dicatur, quam actio fortuita, qua aliquid occultum inquiritur. Et tunc datur, vt quidam aiunt, cum aliquid serio ad homine sit, vt eius euentu considerato, aliquid fiat, aut aliquid occultum innoteſcat. Sic D. Thom. 2. 2. q. 95. artic. 8. Caiet. Angel. Armilla verbo Sors. Siluest. verbo, Superſtition. Sanchez lib. 2. sum. cap. 38. num. 56. Lupus in edit. inquis. par. 3. lib. 17. dist. 4. art. 1. diff. 1. Iodocus verbo Sors.

Respondeo secundo, circa secundum, dicendum, quod triplex sit sors, nimirum, Divinoria, Consulteria, & Diuinatoria.

Sors divinoria datur, & est quando ex euentu sortium queritur, quid vnicuique tribuendum sit, siue illud sit res possessa, siue honor, siue poena, siue munus aliquod, &c.

Sors Consulteria est, qua diuina voluntas exquiritur, vt sciatur quid in aliquo negotio dubio agendum sit, aut cauendum.

Diuinatoria vero, quando per eam inuestigatur cognitio de futuris euentibus, aut alicuius rei occultæ, vt furti, homicidae &c. Sic omnes legantur citati. & Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 40. Trullench cap. 10. dub. 9. Palaus punct. 6. Bonac. disput. 3. q. 5. punct. 3. num. 13. Suarez lib. 2. de superstition. cap. 12. & alij.

## QVÆSTIO LXXV.

An, attento iure naturæ solo, sint licite sortes divinoriae?

**R**espondeo tanquam certum: Esse licitas. Vnde Romnino est licitus usus harum sortium in casibus, in quibus ius humananum eas non interdicit: interdicit enim illas in aliquibus, vt infra.

Probatur Primo. Quia sortes divinoriae, ex natura sua, non sunt malæ, vt constat, & dixit D. Augustinus relatus in cap. 1. 26. q. 2. ibi: sors non aliquid mali est. Nec continent expresse, aut tacite aliquam dæmonis inuocationem; cum per illas non petamus ab eo, nec tacite, nec expresse, vt aliquid nos doceat, aut aliquam operationem nostram dirigat: ergo non sunt de se malæ.

Secundo. Quia iure ciuili approbantur sortes divinoriae: imo in aliquibus casibus iubentur fieri, vt ad dirimendas lites inter hæredes, & legatarios, & alios. Vt 1. si cum ambo. ff. de Iudiciis. 1. Si duobus. C. communia de legatis. 1. si qui sunt. ff. familia ericunda.

Tertio. Quia has sortes probat usus veteris Testamenti, Leuit. cap. 17. v. 24. Numer. cap. 33. v. 34. Deuteron. cap. 1. v. 38. Reg. 1. cap. 10. v. 20. & alibi. Imo, & usus noui Testamenti easdem approbat, Matth. cap. 27. ver. 35. super vestem meam miserunt sortem. Marci capit. 15. v. 24. Mittentes sortem super eum. Lucæ capit. 1. v. 9. sorte exit, vt incensum poneret. Acta Apostol. capit. 1. v. 17. sortitus est sortem ministerij huius, & v. 26. cecidit sors super Matthiam. & alibi. Et licet verum sit, quod aliqua ex his sortibus tunc fieret ex speciali Dei mandato, hoc tamen non est semper necessarium, cum actio mitendi sortem de se mala non sit, vt vidimus. Sic omnes DD. Legantur Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstition. capit. 12. à num. 3. Lessius lib. 2. de Iust. dub. 9. à numero 57. Sanchez lib. 2. sum. cap. 38. à numero 57. Delrio lib. 4. Magic. capit. 4. quest. 1. Sayrus in Clani Reg. lib. 4. cap. 5. à numero 14. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 21. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 40. à numero 3. Trullench lib. etiam 1. capit. 10. dubit. 9. Palaus tom. 3. tractat. de superstition. disputat. 1. punct. 6. Bonac. tom. 1. circa prim. Decalog. precept. disput. 3. q. 5. punct. 3. à num. 13. Torreblanca lib. 8. iuris spirit. cap. 7. & alij. Inter quos solum est difficultas, in quibus casibus sunt licita, & in quibus non. Diximus enim, iure humano in aliquibus casibus esse prohibitas huiusmodi sortes. Igitur, vt clarè procedamus, ad dirimendas horum lites, sit in primis;

## Q V A E S T I O L X X V I .

*An sit licitum, uti sortibus diuisoritis in electionibus ad officia, seu dignitates seculares?*

**N**egandum videtur *Primo*, quia tales sortes in electionibus adhibere prohibet Textus in cap. *Ecclesia vestra de sortilegiis*, vbi absolute & indistincte, sortis usum in electionibus perpetua prohibitio ne damnat.

*Secundo* quia, per sortes, electio committitur fortuna, & sic possunt ea officia cadere in Indignos: ergo tunc erit iniusta.

Sed vt certum respondeo: *Esse licitum uti dictis sortibus in electione ad officia ciuilia, & sacerdotalia.* Quia talis electio, seu prouisio, nullo iure est prohibita: *Quia quamvis textus pro opposito citatus, videatur absolute, & indistincte sortes has in electionibus vitare: at intelligendus est, iuxta subiectam materiam de qua textus ille tractabat, nempe de electionibus Ecclesiasticis.* Licita ergo erit talis electio, & prouisio; cum non sit prohibita, & alias, ut est habitum, ex le non sit mala. Verum est quod per accidens potest esse illicita, & contra iustitiam distributiuam, si praetermittantur idonei, aut magis digni, & dentur indigni, aut minus digni, si aliunde id non caueatur, ut potest sic: nempe intendo sortes inter eos solū, qui ita sunt digni officio, ut vix possit inter eos manifestus excessus iudicati; sic enim vitari potest illud periculum, nec alio ullo modo. Ex quibus iam patet ad rationes dubitandi. Sic omnes Doctores legantur citati, præcipue D. Thom. 2. 2. quest. 95. art. 8. & ibi Caiet. Sayrus numero 10. & 21. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 21. Suarez lib. 2. cap. 12. numero 15. Delrio lib. 4. Magic. capit. 4. question. 1. Lessius capit. 43. dub. 9. numero 58. Sà V. Sortes numero 1. Angel Armilla, Tabiena, Siluest. & alij plures, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 2. sum. capit. 38. numer. 38. Fagundez loc. cit. numero 15. Palaus num. 8. Bonac. num. 13. Torreblanca loc. cit. Lupus par. 3. cit. lib. 17. diff. 4. art. 1. diff. 2. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 9. num. 7. & 10.

## Q V A E S T I O L X X V I I .

*An etiam licitus sit usus sortium, ad officia, & beneficia ecclesiastica?*

**A**ffirmandum videtur ex facto Apostolorum. Nam S. Matthias, sorte fuit electus ad Apostolatum: *Cecidit* (inquit Sacer textus Act. 1.) *sors super Matthiam*: ergo usus sortium licitus est in electione Episcopatum, officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum.

Sed tanquam certum respondeo: Non esse licitum. Quia id interdicatur in cap. *Ecclesia extra de sortilegiis*, vbi prius dicitur; *multa reprehensione dignum esse, quod sors in talibus electionibus interueniat.* Et postea concludit textus: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.* Ergo, ad minus, ex iure Canonico, illicitus est usus sortium ad officia, & beneficia Ecclesiastica.

Nec obstat ratio dubitandi, dicendum enim est, ertes ibi, appellari suffragia, ut constat ex textu Graeco, vbi ita habetur: *dederunt eis suffragia.* Igitur per R.P. Leand. in Decalogum.

suffragia omnium Apostolorum electus est Sanctus Matthias ad Apostolatum; quam electionem postea, precibus Apostolorum, confirmavit Deus, signo visibili ē cœlo emisso, caput D. Matthiae attingente, & ideo Euangelista dicit: *Cecidit sors super Matthiam.* vide Lorinum in *Acta Apostol.* cap. 1. v. 26. & Stephanum Fagundez, mox citandum. Tenent igitur hanc sententiam omnes Doctores nuper citati. Legantur præcipue Suarez c. 12. cit. n. 5. Sanch. n. 7. Azor c. 21. Lessius n. 5 8. Fagundez lib. 1. in *Decal.* c. 40. num. 9. 10. & 11. Palaus à n. 5. Trullench n. 7. Bonacina num. 13. (alias 12.) vers. *Quinta.*

## Q V A E S T I O L X X V I I I .

*An saltem, casu, quo duo aequalibus suffragiis elegantur ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum; tunc licitus sit, electionem alterutrius sortibus terminare?*

**A**ffirmant aliqui, quia nullum suppetit aliud remedium aptius, cum eligentes in unum non consentiant. Ita Glosa 26. quest. 2. in *summa V. Sortes*, & ibi Laurentius. Imo pro hac parte citatur à Bonacina, Lessius n. 5 8. sed non bene.

Sed vt ferè certum respondeo: Nec in hoc casu posse electionem alterius, sortibus terminare. Quia in d. cap. *Ecclesia, de sortileg.* absolute prohibetur omnis Ecclesiastica electio sortibus facta: at si in proposito casu, electio alterutrius sortibus terminaretur, verè fieret sortibus electio: ergo. Minor probatur. Quia dum suffragia aequalia sunt, nullus potest dici, esse ad beneficium legitimæ electus, cum deberet esse electus à maiori parte Capituli: ergo cum Capitulum consentit, ut beneficium obtineat, & omnibus præferatur ille, cui sors contigerit, iam modiis sortibus facit electionem.

Ad rationem autem contrariorum, negandum est, non suppetere aliud remedium; est namque, ut superior Capituli compellat electores, ut intra certum tempus se conforment, sin minus, electi onem ad se aduocet, ut tradit Glosa cap. *Duobus de Rescrip. in 6. verbo teneantur.* Vnde hanc nostram sententiam tenent Glosa citata, Archidiacon. Anton. Ioann. Andreas Cardin. Archidiac. Hostiens. & alij, quos citant, & sequuntur Suarez libro 2. de *superst. capit. 12. numero 7.* & Sanchez capit. 38. citat. numero 74. Palaus loc. citat. numero 6. Fagundez numero 12. Trullench. numero 7. Filliuc. trattat. 24. cap. 5. numero 98. Bonacina numero 13. (alias 12.) vers. obseruant tamen; vbi citat Lessius pro opposito; sed non bene, quia hic Author, solum loquitur de officiis sacerdotalibus ibi. Legatur attente.

## Q V A E S T I O L X X I X .

*An ad minus, casu, quo plures à maiori parte Capituli elegantur ad beneficium Ecclesiasticum, non ut omnes eo fungantur, sed ut sortes mittant postea inter illos; sit tunc licitus usus sortium?*

**A**ffirabunt à sortiori Authores primæ sententia nuper citati & probatur ex praxi aliquarum Congregationū, aut Collegiorum in quibus est consuetudo recepta eligendi ad officia Pastoris, aut Rectoris tres aut quatuor, non ut omnes officiis fun-

gantur; sed, ut inter illos sortes mittantur, quinam ex illis officia retinere debeant: ergo. Ita, præter Authores dictos, sentire videtur Nauarr. in sum. c. 11. num. 38. vers. Trigesimo tertio, ubi ait, Peccare mortaliiter illum, qui sortes iacit ad electionem ecclesiastici beneficij, nullo prius facto bonorum, & ideo nō delectus. Ita ille. Nunc ego. Sed in præsenti casu ante missione sortium, vere præsupponitur delectus bonorum, ac idoneorum: ergo.

Sed adhuc ut ferè certum respondeo: Nec in hoc casu esse licitum usum sortium. Tum, quia generalis est prohibitio dicti cap. Ecclesia. extra. de sortileg. Tum etiam, quia etiam in hoc casu absoluta, & vera ad beneficium electio, verè terminatur sortibus. Sic Suarez lib. 2. c. 12. n. 8. Sanchez lib. 2. cap. 38. n. 75. & Palaus pun. 6. num. 6. Qui omnes ad rationem in contrarium respondent, negando dari tales confutudinem in electionibus Ecclesiasticis; sed in sacerdotalibus, aut ciuilibus. Quod si in aliqua communitate, & electione Ecclesiastica, talis sit eligendi modus, erit ex vi antius constitutionis approbatæ per Papam, aut specialis priuilegijs ab eo obtenti, per quod iuri communi derogeretur, quo sublato, ille modus electionis per se malus non est. Alias non erit licitus. Sic etiam Fagundez n. 12. cit. in fine.

### Q V A E S T I O LXXX.

An, posse sortibus vti, ad Eligendos compromissarios ad electionem Ecclesiasticam faciendam?

**R**espondeo minime posse, licite ad minus. Quia id expresse interdicitur in d. cap. Ecclesia. Vbi reprobatur electio horum compromissariorum facta per sortes. Et ratio est, quia mediate dicetur illa electio ad beneficium facta sortibus. Sic Innocent. Hostiens. Cardin. Ananias, & Angelus, quos citat, & sequitur Sanchez cap. 38. cit. numer. 72. Suarez cap. 12. cit. numero 5. Palaus disput. 1. de superst. pun. 6. numer. 5. Fagundez lib. 1. in Decal. capit. 40. num. 9. & 10.

### Q V A E S T I O LXXXI.

An ad minus, licitus sit usus sortium, in compendis, & terminandis litibus de rebus, & beneficiis Ecclesiasticis?

**A**ffirmant nonnulli Doctores. Quia id nullo iure prohibetur: nam in cap. Ecclesia extra. de sortileg. solum prohibetur usus sortium in electionibus ad beneficia: at, qui componunt litem beneficialem per sortem minimè eligunt; nam ut constat, aliud est, eligere ad beneficia; & aliud componere litem beneficij: ergo. Ita tenent Glossa in c. licet causam de probat. V. vii possidetis & ibi Hostiens. num. 20. & Abbas n. 37. Et huius opinionis videtur esse Lessius lib. 2. c. 43. dub. 9. n. 58. quatenus docet, usum sortium esse licitum, in dirimendis litibus, maximè de rebus sacerdotalibus. Ly namque, maxime, omnes lites comprehen-dit, etiam ecclesiasticas.

Negant licere, absolute alij. Eo quod dato casu, vere completeretur electio alterius ex litigantibus, per sortes: sed id est prohibitum per d. cap. Ecclesia. Ut vidimus: ergo. Ita apud Sanchez numero 77. Hostiens. Ioan. Andr. Dominicus, Francus, Anchard. Cardin. & Felinus.

Sed probabilius, & distinctius respondeo dicendum, quod licitus omnino sit usus sortium pro dirimendis, aut terminandis litibus beneficialibus: modo id fiat non auctoritate propria litigantium, sed auctoritate Iudicis Ecclesiastici. Prima pars nostræ sententiae probatur ratione facta pro prima sententia.

Secunda vero pars, nempe, quod sit necessaria auctoritas Iudicis Ecclesiastici, ad dictam sortitionem faciendam, constat; tum, ob vitandum pactum simoniacum, tum, ut possit beneficium accipere ille, cui fors contingit: nam illud accipere non potest ex iure à collitigante translato, sed ex iure, quod Index concedit, posita collitigantis cause. Sic Suarez lib. 2. de superst. cap. 12. numer. 12. 13. & 14. Sanchez lib. 2. sum. cap. 38. num. 79. & 80. ubi colligit, quod in electione Summi Pontificis, quando inter duos discordia esset, uter verè electus sit, possit discordia hæc sortibus componi: quia non astringit illos ius Ecclesiasticum sortes interdicere. Palaus punct. 6. citat. numero 7. Fagundez numero 7.

### Q V A E S T I O LXXXII.

An, electio ad officia, & beneficia Ecclesiastica facta per sortes, non solum illicita sit, sed etiam nulla?

**A**ffirmant quidem, non solum esse illicitam, sed nullam. Quia est facta contra decisionem d. cap. Ecclesia de Sortileg. & contra formam cap. quia propter. de elect. ubi electio aliter facta, quam ibi prescribitur, non valet. Propter hoc ita tenet Abbas in d. cap. Ecclesia num. 5.

Sed distinctius respondeo, Primo. Electio Praelati alicuius Ecclesia habentis iurisdictionem ad cognoscendum de causis criminalibus, & ciuilibus, facta per sortes, non solum est illicita, sed nulla. Quia illam annullat, & irritat cap. quia propter cit. unde in hoc omnes conueniunt.

Respondeo Secundo. Electio ad officia, & beneficia Ecclesiastica ( præter prælationem de qua nuper ) sortibus facta, licet sit illicita, non tamen invalida. Quia nulli annullatur talis electio. Nam in cap. quia propter cit. solum est sermo de electione Praelati iurisdictionem, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, habentis. Sic sentiunt Suarez lib. 2. de superst. cap. 12. n. 9. & 10. Sanchez lib. 2. cap. 38. n. 83. & 84. Palaus disput. 1. de superst. pun. 6. n. 9. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 40. num. 13. & 14. Bonac. disp. 3. q. 5. punct. 3. num. 13. in noua impressione. Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 3. num. 9.

### Q V A E S T I O LXXXIII.

An, sit licitum, litem alicuius hereditatis, legati, aut similis sortibus finiri, ac terminari?

**R**espondeo tanquam certum: Esse licitum, dummodo id fiat ex mutuo litigantiū consensu. Quia est quidam contractus æqualis, in quo unusquisque cedit iuri prætenso, si fors alteri contigerit. Sic Suarez lib. 2. cit. cap. 12. n. 4. qui id probat manifeste ex l. si duobus. C. communia, de legatis. Sanchez lib. 2. sum. capit. 38. numero 57. Palaus punct. 6. citat. numero 3. Qui ex dicta l. cit. probat, dictam litem, aut controversiam posse dirimi ex voluntate Iudicis,

&amp;

& si litigantes renuant; dummodo hæreditas, vel legatum diuidi non possit, nec appareat quis vincat

alias iniqua esset sortitio, quoad minus nocentes. Palauus num.5.

## QVÆSTIO LXXXIV.

*An, tempore persecutionis Ecclesie, aut pestis, possit sors mitti, ad dirimendam controvèrsiam, quis ex Dei ministris, aut medicis, permanens sit, vel recessurus?*

**R**Espondeo, Tanquam certum: Posse. Sic enim docent D. August. Epist. 180. ad Honoratum. D. Thom. 2.2. question. 95. art. 8. Nauarr. in sum. cap. 1. num. 38. vers. Trigesimo tertio. Suarez lib. 2. de superst. cap. 12. num. 17. Sanchez cap. 38. cit. num. 59. Palaus n. 3. Qui idem dicunt, posse sortiri, (stante, æqualitate) ad eligendos ministros mittendos ad Indos. Sic enim Apostoli diuiserunt inter se missiones suas per orbem.

## QVÆSTIO LXXXV.

*An, si tempore tempestatis, necessum sit, aliquos in mare proiici, ne omnes pereant; licitum sit, sortibus determinare, quinam sint proiiciendi?*

**R**Espondeo tanquam certum: Posse; præsertim si id fiat ex omnium consensu. Quia hac via unusquisque sperat salutem consequi, alias misere periturus. Sic Delrius lib. 4. Magic. cap. 4. quest. 1. ibi: sic tempore tempestatis, licet sortiri ex omnium consensu, quis nauj eiiciatur: & tempore pestilitatis, sortiendum, quis Parochorum in vrbe remanere debeat. Sanchez, & Palaus locis. Qui addunt, quod casu, quo navigantes inter se non conueniant; adhuc possit dux nauis, illis inuitis, hanc sortitionem facere; quia in ea periculum omnium vitare intendit, aliquorum ruina; quod communi bono expedit, & Bonac. punt. 3. cit. num. 13. ver. Item in tempestate. Maior, & Layman apud ipsum.

## QVÆSTIO LXXXVI.

*An item, casu, quo dubium sit, cui danda sit Eleemosyna, an huius pauperi, anve alij; licitum sit, sortibus determinare, cui eorum applicanda sit?*

**R**Espondeo, Tanquam certum: Esse etiam licitum. Quia nulli pauperum fit iniuria; cum æquale ius omnibus concedatur, & potestas integre Eleemosynam accipiendi. Est expressa sententia D. Augustini, 1. de doctrina Christiana capit. 28. Suarez cap. 12. cit. num. 17. Azor. lib. 9. cap. 21. q. vñica. Sanchez num. 59. Palaus num. 3. Qui tamen male citat Bonac. pro hoc casu, cum de illo loc. cit. non agat.

## QVÆSTIO LXXXVII.

*An deinde, licitum sit sorte determinare, quinam sint necandi, cum plures digni sunt morte; non tamen expedit, omnes punire?*

**R**Espondeo, tanquam certum: etiam esse licitum. Quia haec in militia est praxis, & certe in hac sortitione nemini fit iniuria, sed potius singulis favor. Sic Delrius quest. 1. cit. Sanchez num. 60. Bonac. num. 13. vers. Rursus. Qui omnes hoc limitant, intellegendum, quando pars est sortientium culpa; quia R. P. Leand. in Decalogum.

## QVÆSTIO LXXXVIII.

*An, quando non constat de persona, que delictum commisit, liceat sortibus indagare eam?*

**R**Espondeo tanquam certum: Minime licere. Quia, præter diuinationem ibi, admixtam, est eidens periculum, ut puniatur innocens, & nocens relinquatur. Nec obstat, quod contrarium in veteri Testamento factum legatur, Iosue 7. quia id fuit ius suum Dei, vel speciali eius instinctu. Sic Abulensi. Reg. 14. quest. 27. & 28. (non 37. & 38. ut leges apud Sanchez) quem citant & sequuntur Suarez lib. 2. cit. question. 12. numer. 16. Sanchez lib. 2. cap. 38. numer. 6. 1.

## QVÆSTIO LXXXIX.

*An licita sit missio sortis Sanctorum, ad cognoscendum, quem ex ipsis, sibi in Denotum pro anno, aut mente contingat suscipere?*

**N**egandum videtur. Quia nulla est necessitas ad sortis huiusmodi missionem; cum quisque, absque illa, eligere queat Sanctum sibi magis visum. Sed tanquam certum, Respondeo licitam esse. Quia sic practicatur in pluribus religiosis Congregationibus. Sic Lupus in editum S. Inquisit. p. 3. lib. 17. dist. 4. art. 3. diff. vñica. vbi ait, extare libellum Mediolani impressum, qui inscribitur, *Origine deli assertimento de Sancti*. vbi præcipue noratur dictam inuentionem traxisse ortum ex operibus Patris Dreuxelli Societatis Iesu, qui testatur olim huiusmodi sortium emissionem apud familiam Borgiam, & præcipue apud Franciscum huius familie Gandiae Ducem, fusile in vsu: videlicet, ut in honoré Sancti, qui sortitione sibi obuenierat, quotidie, durate mense aliquod bonum ageret, eiusque orationibus omni affecto, se commendando.

## QVÆSTIO XC.

*An etiam licitum sit sortiri in Patronum aliqui Provincie, aut Civitatis; aliquem ex Apostolis?*

**N**Egat Raphael de la Torre tom. 2. de vitiis opposit. Relig. 9. 95. art. 8. disp. 3. Sed etiam tanquam certum, Respondeo, Esse licitum. Quia id nec Christianæ pietati repugnat, nec superstitionem sapit. Sic Martin Delrio lib. 4. Mag. cap. 2. quest. 7. seet. 3. his verbis: *Longe alia quedam est sors Apostolorum, licita plane non vetita, de qua sic Cesarius libro 8. Miraculor. capit. 56. Consuetudo est maxime nostræ Provincie matronis, ut tali cum sorte speciale sibi Apostolum eligant. In duodecim Candelis, duodecim Apostolorum nomina, singula in singulis inscribuntur, que à Sacerdote benedicte Altari simul imponuntur: accedens vero fœmina, cuius nomen per candelam extrahit, illi plus ceteris honoris, & obsequij impendit. Quin (adiungit Delrius) & in Hispania, sic Ferdinando Cortezio sortenti Beatum Petrum, Apostolorum Principem, Romanæ, suævere Apostolice Ecclesiæ petram secundam (nam prima Iesus) obuenisse, innenio in Historia Mexicana*

*Mexicana Fran. Lopez Gomera, capit. 2. Decebat Euangelium illic plantaturo rigatorem facere, quo rigante, nunquam non incrementum dat Christus Iesus. Hucusque Delrius. Quem etiam citat, & sequitur Torreblanca lib. 8. iur. spirit. c. 7. n. 60. & 61. Bulenger lib. 2. de sortib. cap. 1.*

## Quæstio XC I.

*An si quis ex astrorum influxu; expectet sortem sibi feliciter euenturam, peccatum superstitionis committat?*

**R**espondeo, Tanquam certum: Committere. Quia cum astra, nullum influxum in sortem habere possint, clare efficitur, te velle sortem à Dæmonie prouenire. Legantur S. Thom. 2. 2. 95. art. 8. Suarez cap. 12. cit. num. 16. Sanchez num. 64. & 65. Delrius cap. 4. quest. 1. Palaus, punct. 6. numer. 4. Qui à fortiori idem dicunt, casu, quo ope dæmonis quis speret sortem euenturam, vel quia ipse promisit, vel quia ille eum inuocauit.

## Quæstio XC II.

*An, sortes Consultoria ad indagandam, in rebus dubiis, Dei voluntatem, sint licita?*

**R**espondeo dicendum, quod quamvis possint esse licite, raro tamen sint. Quia Deus non vult suam voluntatem sortibus indagari; sed Ecclesiæ, & Sanctorum doctrina, ac petito à viris prudentibus consilio, & ideo interdicuntur sub anathemate, cap. sortes, 26. question. 5. Sic Torreblanca lib. 8. iur. spirit. cap. 7. numer. 44. Ita scribens. Consultoria sortes tot exigunt conditiones, vt non nisi inter Apostolos, & viros Dei, raro licitus sit earum usus; vt, multis adductis, probant Martin Delrio (*aut si vis, Del Rio*) lib. 4. Magic. cap. 4. Suarez de Relig. lib. 2. cap. 19. (*lege tu, 12.*) late Raph. de la Rorre tom. 2. de vitiis opposit. Relig. quest. 95. art. 8. disp. 2. & quest. 97. art. 1. Sic Torreblanca. His adde Sanchez lib. 2. sum. c. 38. num. 85. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 40. n. 16. Palaus punct. 6. num. 10. & 11.

## Quæstio XC III.

*Quot conditiones requisite sint, ut sortes consultoria sint licita?*

**R**espondeo quod quatuor præcipue. Prima est quod mittantur, urgente magna necessitate spirituali, vel temporali personæ, vel rerum. Nam alias esset Dei tentatio; vt dicunt ex Siluestro, & Margarita Confessor. Sanchez, & Palaus locis citatis.

Secunda conditio est, vt cum debita reverentia ad Deum, mittantur sortes. Quia cum huiusmodi sortibus diuina exploretur voluntas, opus est, vt cum magna reverentia, & præmissa oratione mittantur.

Tertia, ne in his sortibus mittendis, Sanctorum Reliquis, aut aliis rebus Sacris tantum ad res temporales, lucraque captanda. Quia est quedam rerum Sacrarum profanatio.

Quarta est, vt mittantur ex speciali Dei instinctu. sed hec conditio necessaria est solum, casu, quo

quis velit, vt Deus, aliquo sensibili signo, suam voluntatem sortibus manifestet. Nam si solum velit, vt Deus per speciale suam prouidentiam sortes feliciter dirigit; tunc non erit necessarius diuinus instinctus, sed sufficiet fiducia magna, quam in diuina bonitate habere potest, de talium sortium directione, posita necessitate, & honestate negotij. Sic communiter D. Thom. quest. 95. cit. art. 8. Azor. lib. 9. capit. 21. Suarez cap. 12. num. 26. Sanchez c. 38. n. 85. & seq. Palaus n. 11. Fagundez, & Torreblanca loc. cit.

## Quæstio XC IV.

*An, sortes diuinatoriae semper sint illicitæ?*

**R**espondeo, Tanquam certum. Semper esse, illicitas, & superstitiones. Quia semper admiscentur in talibus sortibus tacita dæmonis inuocatio. Ratio est; quia sortes neque causant effectum futurum, neque illum ex se significare possunt: ergo si aliquando illum significant, id habent ex alicuius dispositione, non Dei; quia Deus non se vanis immiscet: ergo dæmonis. Sic Palaus loc. cit. n. 12. ex D. Thoma 2. 2. quest. 95. art. 8. Et cauetur in cap. si quis Episcopus, cap. Non licet, 26. quest. 5. & in Motu Sixti V. contra Astrologos. Suarez dicto c. 12. n. 28. Sanchez n. 88.

## Quæstio XC V.

*An, huiusmodi diuinatoriae sortes, ultra malitiam superstitionis, alias includat?*

**R**espondeo, Tanquam certum: Quod licet non semper, aliquando tamen, alias malitias, præter superstitionis malitiam includat. Sic optime Sanchez his verbis: *Ad cognoscendam autem harum sortium malitiam, oportet aduertere, quandoque eas esse speculatiwas; quia scilicet, ad solam intelligentiam alii cuius rei occulte ordinantur; ut ad diuinandum, quis sit parturus victoriam, aut cathedram obtenturus. Et tunc solam superstitionis malitiam participant. Aliquando vero sunt practice; ut quia ordinantur ad aliquid agendum, ut ad cognoscendum delinquentem occultum, & illum puniendum &c. Et tunc ultra superstitionis malitiam, continent aliam iniustitiae, infamacionis proximi, & iniuste punitionis, delicto non probato, ut supra explicavimus, & docet Suarez eod. c. 12. n. 29. Hucusque doctissim. Sanchez & ex vtroque, Palaus punct. 6. cit. fine.*

## §. VI.

De Diuinatione ex cantu, voce, & motu animalium; necnon & hominis.

## Quæstio XC VI.

*An, tria sint genera diuinandi ex animalium signis?*

**R**espondeo, Quod sic. Primum est, & dicitur Augurium, quo quis notando animalium garritus, voces, cantus, aut numerum, futura prædictit.

Secundum est Auspiciu[m], quo quis volucrum habitu, pastu, volatu, cursu, & motu, futura prænuntiat.

Tertium,

**R**espondet. Tertium, est, Aruspicium, quo quis inspectis cæsarum, & inuolatorium auium, aut aliorum animalium extis, intestinis, fibris, & visceribus futura nunciat. Sic Trullench. lib. 1. in Decal. capit. 10. dubit. 6. ex Azorio ( quem non citat ) tom. 1. libro 9. capite 15.

## Q V A E S T I O X C V I I .

*An licitum sit, ex auiuto obseruatione, naturales euentus futuros prædicere, & coniectare?*

**R**espondeo, Tanquam certum: licitum esse. Quia ex iis auium signis, verè naturaliter cognoscitur causa naturalis horum naturaliū effectuum sic Azor. loc. citat. his verbis: Sed notandum est, ex quibusdam auium, piscium, & aliorum animalium frequentibus cantibus, volatibus, & motibus, sepe posse futura probabiliter intelligi, & coniectari, que solent frequenter naturaliter euenire: ut ex concitato certarum volucrum pastu, cantu, aut ex piscis frequenti motu, aut alterius animalis celeri cursu, coniucimus probabiliter futuros imbræ, ventum, serenitatem, tempestatem, maris tranquillitatem. Et hanc disciplinam, peritiam, & artem, iura non improbant. Hucusque Azorius Legantur D. Thom. 2.2. questio. 95. artic. 7. Lessius lib. 2. de Iust. capit. 43. dub. 7. numer. 45. Sanchez lib. 2. Sum. capit. 38. numer. 38. Bonacin. de 1. Decalog. præcep. disput. 3. questio. 5. punct. 3. num. 11. Fagundez lib. 1. in Decalog. capit. 39. numer. 9. Trullench. libro 1. capite 10. dubitat. 6. Palaus disputat. 1. de superst. dubitat. 7. Torreblanca Iur. Spirit. libro 6. capite 11. per totum.

## Q V A E S T I O X C V I I I .

*An, ex dictis vocibus, & signis auium, possit probabiliter coniici aliqua futura in hominibus?*

**R**espondeo, Posse quidem, sed non certo, sed probabilitate quadam. Ratio est: quia vna & eadem naturalis causa, siue constellatio cœlestis, potest mouere animalia, & inclinare homines ad aliquem effectum, nempe ad rixam, discordias, &c. ergo, qui ex vocibus, garris, & rugitus anum, & animalium, cognoscit rixam, inter illas, poterit etiam ex eisdem cognoscere rixas, discordias, & bella inter homines. Verum cum huiusmodi effectus dependeant à libero arbitrio hominum, & eorum voluntati sint subiecti, tenuissima coniectura hæc esse potest. Sic Caiet. 2.2. qu. 95. art. 7. Valentia ibi disp. 6. q. 12. pun. 3. vers. similiter possunt. Sanchez, Fagundez, Palaus, & Trullench. loc. citatis.

## Q V A E S T I O X C I X .

*An, ex prefatis signis auium, & animalium, non solum effectus naturales, verum etiam effectus futuri contingentes, possint cognosci, aut præuideri?*

**A**ffirmandum videtur. Quia Patriarcha Ioseph Gen. 44. coram fratribus suis laudans, dixit, non fuisse similem ei in augerandi scientia: ergo augerium licitum est, alias non de illo se Ioseph laudaret.

Sed tanquam certum, Respondeo. Non posse licet tales contingentes effectus ex talibus signis præuideri, aut cognosci. Quia signa prædicta auium, non signant futuros euentus à libero arbitrio pendentes, nec possunt esse illorum causa: ergo si sunt signa erunt ex aliqua superioris directione, non Dei, cum vanis non se immisceat: ergo dæmonis, à quo illa signa effectus contingentes significare aliqualiter possunt: ergo ex illis talia prædicere, est se discipulum, dæmonis profiteri: ergo ex hoc admittunt grauissimum superstitionis peccatum. Sic D. Thomas receptus ab omnibus 2.2. quest. 95. art. 7. Sanchez, Valentia, Fagundez Trullench. & alijs supra citati. Palaus numer. 3. Qui ad rationem dubitandi bene responderet, quod Ioseph non de augurio illicito; sed de licito, nempe, de prophetia se coram fratribus laudauit.

## Q V A E S T I O C .

*An ex hominum vocibus casu prolatis, aut ob alium finem; possit sumi coniectura effectuum contingentium?*

**R**espondeo, Tanquam certum: Non posse. Quia cum voces hominum significant ad placitum, nequit ex illis coniectura effectum contingentium sumi: diuinatio ergo per illas semper est superstitionis. Sic Azor. lib. 9. Moral. capit. 18. per totum, in cuius fine hæc verba profert: Hoc diuinationis genus est prorsus vanum, & inane, ac idcirco damnatum in cap. Illud quod. 26. q. 2. de eo agit S. Thom. 2.2. quest. 95. art. 7. Negare tamen non possumus, aliquando dicta, vel facta hominum talia fuisse, vt diuino impulsu, & afflatu, futuros rerum euentus præsignificarent; vt Genes. 24. accidit in seruo Abrahæ. 1. Reg. 14. in Ionatha. Iudic. 7. in Gedeone: Ioan. 11. in Caipha pontifice. S. Thom. 2.2. quest. 95. art. 7. ad 3. Hæc Azor. Cui accedunt Valentia, Caiet. & Sanchez loc. citat. Fagundez lib. 1. capit. 39. num. 8. vbi latè explanat loca Sacrae Scripturæ adducta supra ab Azorio.

## S. VII.

De Diuinatione, ex hominis capite; manuum lineis; & alijs membris deductâ.

## Q V A E S T I O C I .

*Quot sunt huius diuinationis modi*

**R**espondeo, Quod quatuor. *Chyromantia*, qua inspectis manuum lineis, futura quis prædicit. *Pedomanzia*, qua ex signis pedum diuinat. *Meteopscopia*, qua quis notatis frontis, vel totius vultus lineamentis, futuros casus prænunciat. *Physiognomia*, Qua quis totius corporis partibus, lineis, vel signis, futuros euentus diuinat. Sic Azorius to. 1. libro 9. questio. 16. per totam. Trullench. lib. 1. in Decalog. cap. 10. dub. 7. num. 1. Rocafull. lib. 3. de primo præcep. Decalog. cap. 4. num. 58.

## QVÆSTIO CII.

An licitum sit , ex manuum , pedum , frontis , aut totius corporis , partibus , lineis , signis , & dispositione , futuros euentus , prosperos , vel aduersos , prædicere ?

**A** Firmarunt Barth. Cocles Bononien. lib. de *Anastasia Physiogn.* Luc. Guaicius Neapolitan. tr. de *Physiognom.* Ioan. de Indagine , & Ioann. Taynerus eod. tract. & ita audacter , & temerarie , vt id affruerint in Scriptura Sacra significari Iob. 37. Qui in manu omnium signat , ut nouerint singuli opera sua. illos refert Delrius libro 4. *Magic.* capite 3. questio. 4. 5. concl. 2.

Sed Tanquam certum , Respondeo. Minimè esse licitum , sed grauissimum superstitionis peccatum , ex corporis humani lineamentis , coniectare , aut prædicere futuros euentus , & ea , quæ pendent à libro arbitrio , v.g. te futurum diuitem , vel pauperem , Religiosum , vel sacerdotem , sacerdotem , vel laicum , solutum , vel matrimonio alligatum , &c.

Ratio est : quia illa signa nequeunt esse causa illorum effectuum ; neque in illis signis tales effectus prædicti possunt ; nisi ex doctrina dæmonis : ergo. Sic Nauarr. in *Sum.* cap. 11. numer. 31. Delrius loc. cit. Azor. cap. 16. cit. vbi optimè satisfacit loco Iobi adducto à contrariis. *Ciruelo de Superstit.* 2. p. cap. 4. Simancas, Alcozer, Nauarra , & Lopez, quos citat , ac sequitur Sanchez lib. 2. cap. 38. numer. 46. & 47 Trullench. & Rocafull. loc. cit. Palaus disp. 1. punct. 7. num. 4. Fagundez lib. 1. in *Decalog.* capit. 39. num. 3. Torreblanca lib. 7. cap. 7. num. 20. vbi , & merito , ait , oppositum esse erroneum.

## QVÆSTIO CIII.

An sit mortale , mulierem Ægyptiam , de bona , vel mala fortuna , ostensa sibi manu , serio interrogare ?

**R** Espondeo tanquam certum : Esse mortale , si serio illam quis interroget , aut firmiter ei credat , aut scandalum pariat. Quia , vt ex dictis constat , ex prædictis manuum lineis , non potest prædicti , bona aut mala fortuna. At , si non serio , sed ioci causa , & ob finei vanum curiositatis , absque periculo fidem ei abhibendi quis interroget , ( vt regulariter fit ) solùm erit peccatum veniale. Sic Nauarrus numer. 31. cit. his verbis : *Decimo quinto (peccat mortaliter) qui aliquem Peregrinum , quem Hispani Cittanum , Itali verò Cinoarum ; & Galli Ægyptum , vulgo vocant , de fortuna sua percontatur animo credendi id , quod ille responderit : quamvis si ex curiositate , vel ridendi gratia id facheret , non esset lethalis culpa , nisi persona talis esset conditionis , vt ex illa interrogazione alij grauiter offenderentur ; tunc enim ratione scandali , grauis peccatum esset.* Sic meus Nauarrus. Alcozer , & Lopez quos sequitur Sanchez loc. cit. num. 48. Bonacina disputat. 3. questio. 5. pun. 3. numer. 11. Trullench. , Rocafull. Fagundez , & Palaus loc. citat. Villalob. p. 2. tract. 38. diff. 3. num. 11. Ignatius Lopus par. 3. cit. lib. 17. dist. 5. art. 2. diff. 2. & ideo hic diuinandi modus damnatus fuit à Sixto V. const. 17. Et in *Indice librorum prohibitorum* interdicuntur omnes libri hunc modum diuinandi do-centes. Et tandem posse dictas Cittanas ab Inqui-

sitoribus puniri docet cum Villadiego Diana p. 4. tractat. 8. Resolut. 128.

## QVÆSTIO CIV.

**A**n , saltem ex lincis manuum , & dispositio-ne , & proportione membrorum corporis hu-mani , posse quis licite probabiliter conie-ctare effectus animi , vt ingenium com-plexionem , naturalem inclinationem , hu-mores , & similia ?

**N**Egat Nauarra ( non Nauarrus , vt leges apud Rocafull. ) libro 2. de restitut. capite 2. par. 1. du-bit. 7. num. 161.

Sed tanquam certum , Respondeo. Posse licite quem omnia dicta probabiliter , non certo , conie-ctare. Quia probabiliter potest cognoscere causam communem illorum omnium effectum. Sic Azor. quest. 16. cit. his verbis : *Sciendum quoque est , esse Physiognomiam , Philosophia naturalis partem , que corporis humani membra , præsentim humores , pectus , manus , pedes , frontem , nasum , oculos , supercilia , aures , caput , & uniuersam faciem obseruat , & inspi-cit , quibus notatis , probabiliter coniectat naturale totius humani corporis temperamentum , naturales item animorum affectiones , bonam , ac malam hominis vale-tudinem . Et hanc obseruandi rationem , nec leges ciui-lles , nec Canones , aut Pontificia iura condemnant . Sic ille . Et latius Delrius lib. 4. cap. 3. quest. 4. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 43. dubit. 7. num. 45. Sanchez cap. 38. num. 44. Palaus punct. 7. numer. 1. Bonac. disp. 3. cit. punct. 3. num. 11. Trullench. & Rocafull. & Fagun-dez loc. citat. Lopus dist. 5. cit. art. 1. diff. unica , & alijs Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 95. art. 7.*

## QVÆSTIO CV.

**A**n ex Physiognomia membrorum liceat illico diuinare de alicuius moribus , & vita ?

**R** Espondeo , dicendum , quod licet possit quis probabiliter diuinare de illius inclinatione ad bonum , vel ad malum , vt nuper est habitum : non potest tamen certo , imò nec probabiliter , de moribus , & vita eius male iudicare. Quia fortè signum , quo ad id iudicandum ducitur , est per accidens , & non per naturam : aut si à natura ad malum inclina-ta , iam ab illo est deuicta , per contrariam consuetudinem , & frœnum rationis ipsam cohibentis na-turam. Sic Torreblanca lib. 7. Iur. Spirit. cap. 7. n. 15. his verbis : *Sed licet per signa membrorum naturalium , mores hominum cognoscantur ; non tamen imponunt ne-cessitatem ; sed tantum inclinationem suam ostendunt probabiliter , que vinci potest per contrariam bonam consuetudinem , vel frœnum rationis ; vt respondit So-crates Philomeni dicenti ex Physiognomia eius , esse Luxuriosum , superasse naturam ratione , vt refert Laertius . Et Socrates ipse ex Physiognomia Zopyri , stupidum , libidinosum , & bardum esse futurum , coniectanti respondit ; verum naturaliter iudicasse , sed ipse Philosophia studio , vicisse naturam , vt tra-dit Cicero lib. de Fato . Et è contra , ex morum corrup-tione prouenire potest , vt bona Physiognomia præ-ditus , perditissimam vitam degat , vel ignaviam , quia liberum arbitrium his signis non adaptatur , vt tradunt Azor. tom. 1. Moral. lib. 9. cap. 16. Lessius lib. 2. de Inst. cap. 43. dub. 7. numero 45. Sanchez tom. 1. Decal. cap. 38. num. 44. Hucusque Torreblanca.*

QVÆSTIO

## QVÆSTIO CVI.

*An ex pulchritudine corporis, probitas animi;  
& contra, ex deformitate, mentis impro-  
bitas, dignosci posset?*

**R**espondeo, Quod sic. Quia ( ut ait D. Ambros. lib. 2. de Virgin.) Pulchritudo, imago est bonæ mentis, & figura probitatis igitur è contra. Sic testatur Sacra Scriptura Proverb. capite 7. vbi dicitur: *In facie prudentis elucet sapientia, oculi stultorum in finibus terre.* & cap. 6. signa peruersæ mentis describens, sic ait: *Homo apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur.* Hinc sit quod, apud Iudices hæc sit praxis; nam quando plures sunt torturæ subiciendi, incipiunt ab eo, qui deformior est, tanquam magis de criminis suspecto, vt docet Baldus in l. 2. C. *Quorum appellat. non recipient. numer. 5.* Hyppolit. Marsilius in pract. criminali §. expediatis. numer. 33. & Torreblanca cum aliis loc. citat. numer. 3. Legantur de hac re Tiraquell. de Primogen. capit. 5. Menoch. de arbitr. casu 226. Ceualllos, in practica comm. contra communes questio. 248.



## DISPUTATIO III.

*De Magia malorum operatrice, in  
genere, & in specie.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Quid sit Magia in genere?*

**R**espondeo, dicendum, quod Magia est ars, seu facultas operandi mira quedam, & insolita ab hominibus. Sic Lessius lib. 2. de Iust. cap. 33. dubitat. 1. numero 1. Pereirus aduersus superstitiones artes libro 1. capite 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. capite 14. numero 1. Trullench. libro 1. in Decalog. capite 10. dubit. 1. Ignatius Lupus in edictum Inquisit. par. 3. libro 19. dist. 1. art. 1. difficul. 1. Fagundez libro 1. in Decalog. capite 4. numero 1. ita scribens: *Magia propriè est Philosophia naturalis.* Hinc sapientes, Magi olim nominabantur. Postea vero translata est hac vox ex usu hominum ad significandum iniquam Strigium, & Sagarum artem. Primus huius iniquæ artis inuentor, vt scribunt Auctores, & speciatim Ciruelo, tract. de superst. 1. p. capite 3. fuit Zoroastes, natione Persa, cui successit Balam ille, cuius asina locuta est, cum conductus ad maledicendum populum Israëliticum veniret. Est igitur ars Magia, seu magia illa, in qua homines fœdus amicitiae cum diabolo efficiunt, vt illis faveat, aut secreta reuelet, vt aliquid consequantur. Sic ille. Legatur Torreblanca libro 11. inris spirit. per totum. Deltius libro 1. Mag. cap. 2. & 3. Sanchez lib. 2. Sum. cap. 49. à num. 42.

## QVÆSTIO II.

*Quotuplex sit Magia?*

**R**espondeo, dicendum, quod sit duplex. Altera naturalis; & altera, superstitionis. *Naturalis*, est ars, mira, & insolita faciendi, per causas tamen naturales, & licitas, absque dæmonis opera. Hæc autem magia per se non est illicita, nec prohibita iure; non est tamen multum addiscenda, eo quod doceat nimias curiositates, in quibus diabolus saepe se permiscet, vnde multoties, vi causæ naturalis tribuitur, quod ope dæmonis agitur.

*Magia* verò superstitionis, est ratio, seu ars, operandi mira, & insolita, per aliqua signa ope dæmonum. Nam sicut magia naturalis vtitur causis naturalibus ad mira operanda: ita hæc superstitionis vtitur signis, quæ sunt causæ morales, quibus ex pacto allicitur dæmon, vt faciat quod Magnus petit, & sic ipsa signa videntur facere miracula. Vnde D. Aug. libro 21. de Cinit. Dei, capit. 6. ita ait: *Alliciuntur dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus creavit, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, quæ cuisque delectationi congruunt, per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum.* Sic ille. Igitur hæc magia per se illicita, & grauissimum peccatum. Sic omnes DD. præcipue nuper citati.

## QVÆSTIO III.

*An, superstitione Magia peccatum, sit grauissimum omnium?*

**R**espondeo, vt certum: Esse grauissimum omnium, præter peccata desperationis, hæresis, & odij Dei; quæ Spei, Fidei & Charitati, opponuntur. Tum quia ( ut ait Fagundez ) opponitur religioni, quæ est omnium virtutum moralium præstantissima. Tum, quia aufert honorem, & cultum Deo debitum, & illum dæmoni tribuit. Sic ille, lib. 1. in Decal. cap. 41. num. 1.

## QVÆSTIO IV.

*Magia generaliter sumptæ quotuplex sit finis?*

**R**espondeo, quod duplex. *Primus* est, ostentatio virtutis, seu commodum proprium, seu aliorum; & sic vocatur nomine communi, *Magia*. *Secundus* est, nōumentum alteri mire inferendum, & sic vocatur *Maleficium*, aut, *Veneficium*. Quod si fiat solis verbis, dicitur *incantatio*. Sic Lessius lib. 2. cap. 44. dub. 1. numer. 3. Trullench. libro 1. in Decal. capit. 10. dubit. 11. numer. 3. Lupus par. 3. libro 19. dist. 1. artic. 1. difficul. 3.

## QVÆSTIO V.

*Quibus mediis cognosci possint, quænam sunt opera, que à Magia superstitione procedunt?*

**R**espondeo, Quod tribus. Nempe, ex conditione causarum, quæ adhibentur: & ex conditione operationis, & effectus.

Ex conditione causæ cognoscuntur esse opera magica

magica, & superstitionis, si expresse inuocetur dæmon. Si preces bona falsis admisceantur. Si verba apocrypha & incerta, aut characteres, imagines, signa, figura, &c. absque signo Crucis. Si ponantur nomina ignota Angelorum, præsertim malorum. Si ponantur aliquæ circumstantiæ nil ad rem pertinentes; vt si dicatur talia verba debere esse scripta manu sinistra, &c. Ratio est: quia effectus huiusmodi minime procedunt à causa naturali, eo quod præfatae nullam vim habent respectu illorum, nec à Deo, vt constat: ergo à dæmoni, qui per hæc vana hominum curiosorum mentes ad se attrahit.

Ex conditione operationis, cognoscuntur, si re-pente curatur homo, aut animal, absque Dei miraculo. Si breuissimo tempore multa millaria conficiuntur. Si operatio ad rem valde distantem se extendit, vt si hic pungatur imago cerea Petri, & ille alibi doloribus afficiatur; nam tunc totus effectus à dæmoni dimanat.

Ex conditione tandem effectus, cognosci possunt; vt si effectus humanam superer industria; tunc enim signum planum est à dæmoni prouenire. Sic omnino Trullench. lib. 1. in Decal. c. 10. dub. 11. à n. 4. ex Lessio lib. 2. c. 44. dub. 2.

### Q V Ä S T I O VI.

*Cur dæmon satagat, ut res illas, quibus Magi ad nocendum vtuntur, ipsi cum Sacramentis Ecclesiæ, vel aliis sacris, admisceant?*

**R**Espondeo, dicendum, quod triplici de causa. **P**rima, vt per hanc mixtionem rerum Sacra-rum, Magi non solum perfidi fiant, sed & Sacrilegi. **S**econda, vt Deus sic grauius per Magos offensus, ipsi dæmoni maiorem potestatem in ipsos permit-tat. Et **T**ertia, vt sub specie apparentis boni, plures homines facilius decipiuntur. Sic Nider de 1. præcep. Decalog. cap. 2. numer. 22. ex D. Augustino: & ex vtroque, Lopus loc. cit. art. 2. diff. 2.

### §. II.

*De Fascinatione Malefica, seu Magica.*

### Q V Ä S T I O VII.

*An, Fascinatio, seu Fascinum, trahat originem, à verbo Fando?*

**A**ffirmat Vayrus de Fascinat lib. 1. his verbis: *Fascinum dicitur à Fando; quoddam incantationis genitus, quo homines ita ligantur, ut liberi non possunt, nec mente compotes, saepèque ad extremam maciem deueniunt. Sic ille.*

Alij dicunt, originem trahere à voce græca Bascano, seu, Bascanem, quæ significat inuidere, & usurpatum, authore Cicerone, pro nimium videre, quoniam, qui inuident alicui, inuidiosi ob felicitatem, nequeunt oculos auertere. Sic Torreblanca libro 12. spirit. Iur. capite 10. numero 25. & 60.

### Q V Ä S T I O VIII.

*An, Fascinatio adequate diuidatur in naturalem, seu Physicam, & Dæmoniacam?*

**A**ffirmant apud Angelum Mariä Verricelli Arist. sect. 20. probl. 50. Plutarchus in Symposiac. lib. 5. cap. 7. Heliodor. in Histor. Æthiop. libro 3. Ficinus, lib. 13. de immortalit. anima. Albertus Magnus lib. 22. de animal. cap. 5. Plinus lib. 7. cap. 2. & lib. 33. c. 10. Ioa. Baptista Porta, magia naturalis libro 2. cap. 28. Virgil. Ecloga 3. & 7. S. Thom. 1. p. questio. 117. art. 3. ad 2. & 3. contr. Gent. cap. 103. & ibi Ferrara. Riccard. quodlib. 2. quest. 12. Conimbricens. 7. Physicor. cap. 2. quest. 1. art. 4. Suarez in Methap. disp. 18. sect. 8. numer. 26. Quibus addo Lupum, in edit. Inquisit. par. 3. libro 19. dist. 7. artic. 1. diff. 1. & Vairum de Fascino libro 1. capit. 2. & libro 2. cap. ultimo. & alios.

Sed clarius, & probabilius, Respondeo. Negatiuè. Quia loquendo, de improprie, & proprie dicta fascinatione, in triplicem speciem diuiditur, nempe, in Poëticam, seu Vulgarem; in Physicam, seu, Naturalem; & in Magicam, seu Diabolicam. Sic sentiunt Iulius Scaliger de subtilitate exercitat. 349. Franciscus Vallesius Sacra Philosophia cap. 68. Cordonchus lib. 2. de morbis beneficis cap. 3. Andreas Laurentius Histor. Anatomica lib. 11. quest. 1. Ananias lib. 4. de natura dæmonum, Cardin. Haliacens. in perspectiva. Ciruelus par. 3. de superst. cap. 5. Abulensi. paradox. 4. cap. 16. in Genes. cap. 21. & latissimè Numer. cap. 21. à questio. 9. Delrius Magic. disquis. lib. 3. par. 1. quest. 3. (non 4. vt leges apud Verricell.) sect. 1. quos omnes citat, & sequitur Angel. Maria Verricell. in qq. Moral. tract. 8. quest. 37. numero 7. Quibus addo Raphaelem de la Torre tom. 2. de vitiis opposit. Religioni quest. 96. art. 2. disput. 6. Ioannem Malderum de Virtutib. Theolog. tract. 10. c. 8. dub. 8. Torreblanca lib. 12. Iuris Spirit. c. 10. n. 1.

### Q V Ä S T I O IX.

*Quid sit Vulgaris, seu Poëtica Fascinatio; quidque Naturalis; & Diabolica?*

**R**Espondeo, dicendum, quod *Vulgaris*, & *Poëtica*, de qua potissimum disputatur inter Theologos, est illa, quæ ex Vulgi opinione ortum habet, dum putat visione ipsa, seu aspectu actiuo hominis Fascinant, vel etiam inuido aliquo laudante, eo solo, quod maligne, aut malitiosè adspicit, vel laudat alium, à quo est aduerso animo, vel inuido. Et de hac erit infra disputando, an vere detur an, non.

Fascinatio Naturalis, seu Physica, est morbus, contagiosus, qui ex depravatis, & corruptis humoribus corporis ortum habet, dum aët, qui recipitur, inficitur qualitate pestifera, & postea per respirationem foras emissus, inficit, & corruptit contiguum aërem, & hic alium, usque ad determinatam distantiam, & adstantibus, & colligentibus nocet; præsertim iis qui sunt infirmæ valetudinis, aut debilis complexionis, & maximè teneris ætatis infantibus, vt constat in morbis contagiosis, & peste infectis.

Fascinatio tandem diabolica, seu dæmonica, est, perniciosa qualitas, dæmonum arte illata, ob tacitū, vel

vel expressum hominis cum dæmonе pactum strigamque, vel alijs nefarij homines, pacisci solent cum dæmonе, vt quos liuide, vel iracundè aspexerint, illis dæmon perniciem inferat. Legantur Autores nuper pro nostra sententia superioris questionis, adducti.

## Q V A E S T I O X.

*An sit in quibusdam viris, aut mulieribus aliqua vis fascinandi (quod Hispane dicitur Tomar de ojo,) qua ipsi aspectu, seu visione, vel laudatione, aliis hominibus, vel belluis naturaliter noceant, & interdum sine peccato?*

**A**ffirmant Arist. Plutarch. Plinius, & alijs relati pro prima sententia, *questio. 8.* docentes, fascinantes solo aspectu, seu visione, naturaliter aliis nocere posse.

Probat experientia. Quia Plinius *libro 7. capite 2. cit.* refert, *Esse familias quasdam affascinantes, quarum laudatione intereunt probata, arescunt arbores, emoriuntur infantes: Esse quoque eiusdem generis in Triballis, qui Illyriis, qui visu quoque fascinant, interimuntque, quos diutius intuentur, iratis presertim oculis.* Ita ille. Et Mendoza in *viridario libro 4. Probl. 11.* ait, aliquos etiam in magnam distantiam fascinasse: vt de quodam famulo Ducis Brigantiae tradit, qui cum fixis oculorum obtutibus falconem ad prædam aduolantem intueretur, in terram deiicere soleret.

**Secundo.** Quia plura animalia, solo aspectu nocent: ergo nil mirum, quod & aliqui homines. Antecedens constat: Nam regulus (vulgò, Basiliscus) solo aspectu occidit: nam virulento, ac violento halitu, ac vapore, qui ex oculis egreditur, vicinum inficit aërem, & iste necat accedentes, vt sentiunt Plinius, Solinus, Scaliger, & alijs: ergo & id possunt efficere homines, iuxta Doctrinam S. Thomæ *1. p. questio. 117. artic. 3. ad 2.* Deinde Lopus, quos prior videt, illis vocem abripit, vt ait D. Ambros. *libro septimo, in Lucam capite 10.* & etiam D. Isidor. *libro 12. ethymolog. capite primo,* & etiam Virgil. *Ecloga 9. vox quoque Merim iam fugit ipsa, Lupi Merim videre priores.* ergo & id homines posse, facile vides.

Sed probabilius, Respondeo. Minimè dari tamē vim naturalem fascinandi; quia probabilius est non dari fascinationem vulgarem, vt scilicet possit aliquis homo alteri homini visione, seu, adspetū naturaliter nocere: sed esse vulgi errorem; nempe aliquid naturale, sed fabulosum, ac superstitionem.

Probatur *Primo* ratione. Quia nec sola visio, nec adhuc simul cum imaginatione, coniuncta habet efficaciam ad inducendum talem effectum: probatur, quia ex oculo nihil emittitur aut exit quod nocere alteri possit; Nam visio non est actus transiens, sed immanens, seu non est qualitas activa, & alteratiua alterius passi: patet quia visio non fit per extramissionem radiorum ab oculo; sed intramissionem specierum emanantium ex obiectis: ergo oculus non habet per visionem alterare aliud subiectum; immo patitur, & recipit ex ipsis obiectis species ipsorum: quod inde etiam patet; quia oculus recreatur ex obiecto viridi læditur ex niuis candore, ergo aliquid ex ipsis obiectis recipit.

Igitur fascinatio, quam vulgus fieri putat per vi-

sionem ab inuidente, vel irato, vel est fabulosa, aut poëtica, vel superstitionis: quia dæmonis opere alteri infertur nocumentum, eo quod fascinator patet habeat expressum, vel tacitum cum dæmonе, vt quemcumque iratus, vel inuidus intuitus fuerit, cum voluntate illi nocendi, aut illi inuidendi, laudauerit, illi dæmon noceat. Vnde visio fascinantis, eiusque laus, aut prava voluntas, non sunt causa efficiens nocumenti, sed conditio, seu signum ad placitum, quo posito diabolus nocet. Sic Verricelli *loc. cit.* ex D. Thom. S. Hieronymo, Chrysost. Tertulliano, & Abulensi. Torreblanca etiam ex Ciruelo, & aliis supra *questio. 8. citati.* Vnde,

Ad *Primum* in contrarium dicendum; esse falsum, vel fabulosum, aut superstitionis id quod Plinius dicit de fascinantibus laudando. Et id quod Mendoza refert, de illo, qui falconem velantem fascinabat.

Ad *Secundum* similiter dicendum, Basiliscum minimè occidere visu, sed si hoc facit, est halitus lethali, & qualitate pestifera aërem inficiente, & hic accedentes occidit, vt probat argumentum, de quo mox dicemus. Ad id autem quod de lupo narratur, dicendum planè esse fabulosum, & poëticum commentum; vt ex aliis docet Verricellus, contra aliquos id affirmantes.

## Q V A E S T I O X I.

*An, Quis sine peccato, posset, fascinatione naturali, seu Physica, fascinare aliquem?*

**R**espondeo, vt certum: posse. Quia hæc fascinatio, (qua proprie dicendus est morbus contagious) fit ab homine, (vel ab aliquo animali, seu serpenti, vt Basilisco) ex depravatis & corruptis humoribus, malaque corporis complexione constante, qui per meatus corporis, nempe oris, narium, & oculorum effunditur virus in aërem, quo inficiuntur accedentes: atqui hæc potest fieri naturaliter, & sineulla intentione nocendi: ergo & sine peccato. Sic cum omnibus Doctoribus Torreblanca *loc. cit.* & Verricellus, qui bene infert ex dictis, posse etiam cœcum hac fascinatione naturali, seu Physica alium fascinare; nam ex ore, (aut naribus) potest emittere halitum pestiferum, quo alijs lædantur. Legantur Delrios *libro tertio. Magic. par. 1. questio. quarta sectio. prima. Azor. tom. 1. libro nono capite 25.* Ioan. Euseb. *tom. secundo, curiosa Philosoph. libro primo, à capite 35.* & alijs docentes, esse homines ita ex mala complexione, & corruptis humoribus constantes, qui solo tactu, afflato, halitus, sudore, & aspectu alios lædantur.

## Q V A E S T I O X I I.

*An, Fascinatio diabolica, pluribus modis, contingere posset?*

**R**espondeo, dicendum quod sic. Nam *primo modo*, potest fieri, modo dicto, *questio. 9. in fine.* *Secundo*, contingit fieri, quando Vapores putridi, & pestiferi, ex ore, naribus, aut oculis, alicuius personæ infectæ emittuntur, & vi dæmonis efficiuntur deteriores, & ordinantur ad nocendum.

*Tertio* contingunt, quando dæmon aliis beneficiis, fascinisque ab ipso confectis, beneficat, damnat,

dannat, aut necat. Nam dæmon ad fascinandum, non indiget vaporibus hominum, seu veterularum, aut aliorum animalium infestorum, cum apprime noscat confidere omnia, & singula venena; & non minus Basilisco, & Aspide inficiat. Legantur Gry-saldus in defensione Fidei Cathol. v. Striges. Bordonus de variis Resolut. 40. numero 14. Lopus loc. citat. artic. 3. diff. 1.

## §. III.

## De Maleficio, seu de Magia Malefica.

## QVÆSTIO XIII.

*Quid veniat nomine Malefici, & Maleficij, intelligendum?*

**R**espondeo, dicendum, quod in præsentiarum, nomen *Malefici* accipitur pro illo, qui malum aliquid agit, ope speciali dæmonis, ratione pacti, inter Maleficum, & ipsum dæmonem initum, immediate, vel mediate. Nomen vero *Maleficij*, pro quocumque malefacto, vi dæmonis: & dicitur propriæ Maleficium magicum. Sic *Lopus* in edit. S. Inquisit. par. 3. lib. 20. dist. 1. art. 1. diff. 1. addens, quod *Maleficus*, idem sit, ac cooperator, & coadiutor diaboli in damnum proximi. Legatur Torrebl. lib. 12. Iur. Spirit. capite 1.

## QVÆSTIO XIV.

*Quod sit Maleficium?*

**R**espondeo, Quod est ars nocendi aliis, ope, & potestate dæmonis. Sic omnes D. Thom. 2.2. quæstio. 96. & 4. dist. 34. & ibi D. Bonav. Sotus & Ricard. Martin. del Rio, ( aut Delrius ) libro tertio. Magicar. par. 1. capite primo, & quæstio. tertia, sect. 4. & quæstio. 4. sectio. 1. & sequent. Suarez tom. primo de Relig. libro secundo de superstitione. capite 16. & sequent. Sanchez libro 2. Sum. capite 41. Valentia 2.2. disput. 6. quæst. 13. punct. 2. Lessius lib. 2. de Inst. cap. 44. dubit. 3. & sequent. Azor. tom. 1. libro 9. capite 25. Clavis Regia libro 4. capite 6. Layman libro quarto, tractat. 10. capite 4. numero 7. Filliuc. tract. 24. cap. 7. Raphael de la Torre 2.2. quæstio. 96. Bonac. tom. 1. disput. 3. de primo præcep. Decalog. punct. 5. Trullench. libro 1. in Decalog. capite 10. dubitat. 13. Fagundez libro primo in Decalog. à capite 41. Torreblanca Iuris Spirit. libro 12. à capite primo. Tamburin. libro 2. in Decalog. capite 6. §. 2. Ignatius Lupus, in edit. S. Inquisit. par. 3. libro 20. dist. 1. & sequent. ubi art. 1. diff. 2. notat Magum, & Maleficum, solùm penes finem differre. Magus enim dicitur ille, qui arte dæmonis vtitur ad ostensionem suæ potentiae, vel scientiae. Maleficus autem, qui ea vtitur ad nocendum aliis: Maleficia verò, res materiales, quibus Maleficus aliis nocet.

## QVÆSTIO XV.

*Quotuplex sit Maleficium?*

**R**espondeo, dicendum, quod duplex, alterum, Amatorium; & alterum, beneficium. *Amatorium* est, quo Malefici vtuntur ad flectendos animos hominum ad amorem turpem; & auertendos

à bono, licito, & debito. Ex quo Maleficio sequuntur plurimæ rixæ, iurgia, odia, inter quos debet esse amor præcipuus, vt inter coniungtos.

*Veneficum* autem Maleficium, est quo Malefici vtuntur ad nocendum hominibus, vel in ipsiis met personis; vt occidendo, infirmitates, seu dolores causando, aut sterilitatem foetus inducendo: aut in rebus temporalibus ipsorum; vt destruendo vienas, arborésque, necnon subvertendo domus, &c. ad quod Malefici huiusmodi solent excitare ventos, grandines, ingentésque tempestates, &c. lego *Lupum*. loc. cit. *Toletum* libro quarto, capit. 16. *Tamburinum* §. 2. cit. numero 1. *Azorium* capit. 26. quæstio. 1. *Filliuc.* capite 8. numero 183. & *Bonacini*. punct. 5. numero 3.

## QVÆSTIO XVI.

*Quotuplex sit Maleficarum genus?*

**R**espondeo, Quod triplex. Aliæ namque sunt, quæ lèdunt; sed non valent curare lèflos. Aliæ, quæ solùm curant; sed non lèdunt. Aliæ denique, quæ lèdunt, & lèflos curant, ex singulati pacto cum dæmonie inito. Sic Iacobus Sprenger in *Mal-leo Malefic.* par. 2. capit. 2. & ex illo *Lopus* loc. citat. diff. 3.

## QVÆSTIO XVII.

*An, omnes Malefici, se dedicent dæmoni?*

**R**espondeo, Quod sic. Dedicant namque se duabus modis, vt supra diximus, priuatim, vide-licet, aut solemniter. *Priuatim*, idest, non præsentibus aliis Maleficiis, nec apparente dæmonie in forma humana. *Solemnitate* vero, apparente. Dedi- cat autem se, vel totaliter, idest, negando totali- ter fidem: vel partialiter; idest, promittendo ex pacto obseruare quædam, veluti sextis Feriis vesci carnibus, aut certa crimina in confessione ce- lare, &c.

Sed aduerte, quod inter Magas, aut Maleficas, fidem abnegantes, est diuersitas. Nam aliae tan- tum ore fidem abnegant; aliae verò, corde, & ore simul. Ex quo fit, quod cum dæmon intima cordis penetrare non possit, ( vt supra est habitum, volens experiri, an Malefica, corde, sicut ore, deputat aliquot annos, & interim committit cer- to dæmoni, veluti Magistro Nouitijs ( qui vulgo dicitur, *Martinellus*, ) vt dicto tempore ex operi- bus, & conuersatione, mentem ipsius inuestiget: quem si tandem cognoscat minime stabilem in eius seruitute, refert dæmoni superiori, & hic Ma- gam, seu Maleficam abiicit, temporalibus affli- ctionibus torquet; vt sic, ex desperatione lucre- tur eius animam. Sic Iacobus Sprenger, & Lu- pus loc. cit.

## QVÆSTIO XVIII.

*An, sint aliquæ causæ, quæ præcipue disponant ad Maleficij crimen patrandum?*

**R**espondeo, Esse aliquas, & præcipue sunt de- fectus perfectæ Fidei. Nimia curiositas sciendi quæ non oportet. Insatiabilis cupiditas congregan- di diuitias. Nimium desiderium se vindicandi de inimicis,

inimicis, Nimia tristitia & Luxuria. Sic Lupus los. cit.art.2. diffic.unica.

## Q V A E S T I O X I X.

*An, liceat pro re graui, & urgente bono publi-  
co, maleficos, alias paratos, adhibere ad ma-  
leficium faciendum?*

**A**ffirmarunt aliqui. Quia licitum est ex iusta causa, extorquere iuramentum ab infidelibus, quem scimus iuraturum in nomine Dei sui. Et rursus, licitum est ab usurario petere mutuum, quamvis sciamus ipsum usuram commissurum: ergo licitum etiam erit petere à Maleficio parato, ut maleficium patret, aut maleficio maleficium dissoluat. Ita tenent Petr. Aureol. in 4. dist. 24. q. 2. & Angel. verb. *superstitio* num. 13.

Sed tanquam certum respondeo: Minime licere. Quia adhibere Maleficos ad Maleficium patrandum est cooperari ad id, quod est intrinsece malum, id est, maleficium exercendum. Vnde quamvis petitio fiat, ut sanitati restituatur maleficio affectus, adhuc est graue peccatum; quia non sunt facienda mala, vnde eueniant bona, ut infra dicemus.

Nec obstant contraria. Ratio disparitatis est. Quia illi possunt, si velint, efficere sine peccato id, quod ab ipsis petitur, & ideo potest illa petitio esse licita, & sine ullo peccato; non tamen in casu nostro. Et ideo, sic tenet communis Doctorum. S. Thomas in 4. dist. 34. q. 1. artic. 3. S. Bonavent. in 2. distinct. 7. artic. 2. quest. 1. Nauarr. cap. 11. numero 29. vers. undecimo. Caiet. verb. *Maleficium*. Tollet. in sum. lib. 4. cap. 16. Castro, & Philarchus, quos omnes citat, & sequitur Clavis Reg. lib. 4. cap. 6. numer. 26. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstitione. cap. 18. numero 3. Lessius lib. 2. de instit. capit. 44. dubit. 6. numero 35. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 95. num. 7. & in sum. lib. 2. cap. 41. num. 5. Bonac. disp. 3. pun. 5. num. 5. Tamburin. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 2. à num. 3. & alij infra adducendi, ex quibus aliqui dicunt, oppositam sententiam esse falsam, & erroneam.

## Q V A E S T I O X X.

*An saltem liceat à Maleficio parato postulare,  
ut Maleficium Maleficio dissoluat?*

**A**ffirmant, & à fortiori, Aureolus, & Angel. nuper citati.

Sed etiam tanquam certum: Respondeo. Nec id licere. Quia nulla ratione honestari potest dissolutione Maleficij, alio maleficio facta: ergo nec eius petitio. Consequentia est clara. Antecedens est manifestum ex ratione nuper allata, quam sic declarat Palaus. Quia, qui peteret à Maleficio maleficij dissolutionem à dæmonе peteret; cum ipse, non nisi mediante dæmonе sic operari posset: sed peteret à dæmonе dissolutionem maleficij, nunquam est licitum; quia eo ipso protestaris eius auxilio indigere: ergo nec à Maleficio licet expostulare. Sic ille tom. 3. disput. 1. de superstitione. punct. 12. numero prima, Delrius etiam lib. 6. Magic. disquis. capit. secundo sect. prima questio. 2. dicto 3. Fagundez lib. 1. in Decalog. capit. 42. numero tertio & quar-

R.P. Leand. in Decalogum.

Martin. de Ledesma 2. p. 4. questio. 60. articul. secundo Barthol. de Ledesma de Matrim. dubit. 49. concl. 5. Petr. de Ledesma de Matrim. questio. 58. articul. 2. dubit. 2. Ciruelo de superstitione. par. 3. capite 15. Villalobos 2. p. tractat. 38. differ. 11. Trulench. lib. 1. in Decalog. cap. 10. dubit. 13. numero 5. & omnes alij Doctores citati quest. antecedenti. Et communis.

## Q V A E S T I O X X I.

*An, ad minus excusari possint à peccato Maleficij, bono fine maleficia exercentes, ne fructus terrae, vi ventorum, vel grandinis absumentur?*

**A**ffirmant Azo, (non Azor, vt citat Fagundez) in summa titul. de Maleficis Hostiens. in summa, Aerodius Salicetus, Godifred. & alij, quos refert Delrius, infra. Qui probant ex l. Eorum. 4. C. de Maleficis & l. Regia 3. tit. 23. par. 7. vbi clare id deciditur.

Sed tanquam quid certum: respondeo Minime à peccato, & grauissimo, excusari. Quia minimè possunt Malefici hæc mala auertere, nisi per inuocationem dæmoniorum, quod intrinsece est malum. Sic omnes Doctores citati, præcipue Gregor Lopez lib. 3. citat. verbo Razon. Azeuedo libro 8. Recopilat. titul. 1. l. 5. numero 23. vbi dicunt, in foro conscientiae, hoc nullo modo esse licitum quamvis in foro externo, attento iure ciuili non puniatur. Quare illæ leges intelligendæ sunt, vt id delictum vacet pena in foro soli, aut ciuili, non vero vt culpa careat in foro poli. Legantur Sanchez de Matrim. lib. 7. disputat. 95. numero primo in fine Fagundez capit. 42. citat. numero 6. Delrius libro 6. disquisit. Magic. cap. 2. sect. 1. question. 2. vers. Dico primo & alij.

## Q V A E S T I O X X I I.

*An, quamvis non liceat, precibus petere à ma-  
leficio, ut maleficio maleficium tollat; licent ta-  
men ad id imperio, & pœnis cogere?*

**A**ffirmauit Nicolaus Reigius lib. 3. de Monol. capit. tertio Fundamentum eius fuit. Tum, quia ea vis, & extorsio vacat omni pacto cum dæmonе. Tum etiam, quia licitum est rem meam vi, ac pœnis eripere, si alio pacto recuperare nequeo.

Sed vt quid certissimum respondeo. Nec dicto modo licere. Ratio est: quia minæ, & pœnæ non possunt separare malitiam intrinsecam ab illo actu; cum sit intrinsecè malum, quod Malefici dæmonem consulant, & ab eo auxilium postulent: ergo, siue vi, & metu coacti, siue sponte, id faciant, semper illicitum actum facient: ergo & qui coegerit Maleficum ad id facendum, si quidem ad peccandum efficaciter inducit.

Ad primum in contrarium, dicendum quod illa vis, seu coactio cedit in dæmonis honorem, cum cogatur Maleficus dæmonis ope, & inuocatione maleficio mederi.

Ad secundum, neganda est paritas; quia in proposito supra, non cogitur raptor ad rem malam faciendam, sed rem bonam ad quam ex iustitia te-

netur coactus facit: quod oppositum tentat, qui vi cogit maleficium patrare sic Delrius loc. cit. vers. Infestur 4. vbi oppositum, periculorum, & erroneum vocat. Suarez c. 18. num. 7. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 95. n. 9. & in sum. lib. 2. cap. 41. n. 9. Fagundez n. 7. Palaus num. 1.

## Quæstio XXIII.

*An etiam peccent grauiter Iudices, qui Maleficos cogunt, benedictione quadam, maleficium auferre iis, quos laſerunt?*

**R**espondeo ut certum: Peccare grauiter. Quia illa benedictio Maleficorum, seu Maleficarum, nihil aliud est, quam quedam formula, & cærenonia, qua ex pacto dæmoni cessaturum promisit. Nam si vera benedictione, sanandus æger foret, præstaret vti benedictione Sacerdotis, vel alterius probi hominis, quam Malefici, cuius oratio Deo est execrabilis. Vnde sequitur etiam Maleficum obtemperantem Iudici, & ægros hoc remedio videntes, peccare grauiter. Sic Delrius loco cit. corollar. 1. Sanchez vbi de Matrim. & in sum. num. 10. Fagundez num. 8. Palaus num. 1.

## Quæstio XXIV.

*An licitum sit, petere à Malefico, vt licite maleficium dissoluat; nempe tollendo signum maleficij, aut illud destruendo, sine novo maleficio?*

**N**egandum videtur. Quia, qui petit à malefico dissolutionem maleficij, modo quantumvis licito, consulit Maleficum: atqui consulere Maleficos est per se malum, & in Sacris literis prohibitum, vt supra est habitum: ergo, saltem ex hoc capitale; graue peccatum. Ita tenet Pater Antonius Marsilius ex Societ. Iesu, apud Tamburinum, mox citandum.

Sed ut certum Respondeo licitum esse. Quia tunc res licita petitur, quam quilibet potest facere sine culpa. Idque non est conniuere dæmoni, sed potius eius signa, eiusque pacta destruere, vt optime Tamburinus §. 2. cit. num. 5. Qui & num. 11. optime etiam respondet rationi Marsilij, *Quod consulere Maleficos, vt tales certe sit prohibitum: at consulere eos, non vt tales, sed vt scientes boris artibus maleficium tollere, prohibitum non sit: Secus nec possem legitimum medicamentum, & bonas scientias addiscere ab eo, qui hoc à dæmons habuit: quamuis enim ipse quando habuit, peccauit ex prauo commercio cum communi hoste; non pecco tamen ego, imo nec ipse, dum iis naturalibus medicinis, scientiaque bona, ad bonum finem utimur, vt Theologi probatissimi docent: non enim tunc consulimus Maleficos vt tales, sicut dictum est, sed vt viros doctos, & expertos, nec nisi res, ex se bonas, tunc usurpamus. Sic ille, & omnes apud ipsum.*

## Quæstio XXV.

*An etiam sit licitum, petere absolute, & in communi à Malefico, vt tollat maleficium; casu, quo sciatur, eum posse tollere sine maleficio, & posse cum maleficiis sat petens moraliter est certus, ipsum sine Maleficio dissoluturum?*

**N**egavit, à fortiori Antonius Marsilius, vbi supra, vt patet.

Sed adhuc ut certum Respondeo licitum esse. Quia adhuc in hoc casu currit ratio praecedentis, vt liquet. Quia petens rem perit, quam Maleficus licite præstare potest, imo, & de facto sic præstaturum constat petenti: ergo. Sic etiam omnes, præcipue Tamburin loc. cit. n. 6. & alij mox citandi, præcipue Palaus, dicens id esse certum.

## Quæstio XXVI.

*An adhuc sit licitum, id ipsum petere à Malefico, casu, quo petens sciat, posse dissoluere cum maleficio; & posse modo licito sine maleficio; scit tamen certo moraliter, ipsum cum novo maleficio dissoluturum?*

**N**egant esse licitam, in hoc casu, talém petitio- nem, nonnulli Doctores. Quod tunc illa petitio fit ab illo Malefico, aut Saga, vt est auxtrix, & artifex maleficorum, ac proinde vt est minister diaboli: atqui petere aliquid à ministro diaboli, vt minister illius est, est lethale peccatum: ergo. Ita Caiet. tom. 2. opusc. tract. 12. de Malefic. q. unica in fine. Delrius lib. 6. disquis. Magic. cap. 2. sect. 1. quast. 2. dicto 4. in fine, dicens id certum sibi esse: nulla tamen ratione probat.

Sed probabilius Respondeo licitum esse, tunc id petere. Quia tunc petens, petit à Malefico rem de se bonam, nempe dissolutionem maleficij, quam Maleficus, si velit, licite, & absque ullo virtio præstare potest: Quod si non vult, sibi imputet. Nec obstat, meam licitam petitionem esse occasionem, vt Maleficus peccet: quia id absolute sibi debet imputare, non petenti; cum hunc summa necessitas anuerteret à se, vel à proximo maleficium, excusat à cooperatione, si fortasse ibi detur. Quod confirmatur exemplo petentis mutuum, ab usurario, & iuramentum ab infidelium; nam licite possum ab iis petere mutuum, & iuramentum, licet sciam eos peccatores, accipiendo usurpas, & iurando per falsos deos: nam ego rem bonam, vel indifferentem peto, & quod ipsi modo licito exercere possunt, iurando per verum Deum, & non reportando usurpas. Sic Henriquez lib. 12. de Matrim. cap. 8. num. 3. fine. Petrus Ledesma de Matrim. cap. 58. art. 2. dub. 2. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 95. num. 11. & lib. 2. in Decal. cap. 41. numer. 13. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstitione. cap. 18. num. 9. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 44. dnb. 6. num. 46. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 42. num. 10. Tamburin. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 2. num. 7. Trullench lib. 1. in Decalog. capit. 10. dubit. 13. numer. 7. Filliuc. loc. cit. numer. 192. Palaus disp. 1. de superstitione. dubitatio. 12. numer. 4. Bonacina de primo Decalog. precep. disp. 3. quest. 5. pugnat. 5. numer. 8.

## QVÆSTIO XXVII.

*An, si quis negatiue dubitet, an Maleficus habeat modum licitum dissoluendi maleficium, posset licite ab eo dissolutionem petere?*

**R**espondeo Primo si potenti probabile sit, Maleficum habere modum maleficium soluendi sine peccato; tunc licite potest petens postulare ab ipso Maleficio dissolutionem maleficij: quia operari cum probabilitate, est operari cum prudentia, & certitudine morali, ut alias diximus. Hoc ergo, ut quid certum supposito, ad dubium, directe,

Respondeo Secundo probabiliter: posse, saltem aliquando, licite dissolutionem petere. Quia ( ait Tamburinus ) non raro presumere mibi integrum est, ex communiter contingentibus, à Maleficio ( sic lege, non, à maleficio, ) modum licitum non ignorari. Communis enim modus est, signum demonis dissoluere, in quo dissoluendo, non est necesse, ut interueniat nouum maleficium. Neque Contrary sunt Doctores, dum in hac re communis calculo sentiunt, in dubio presumendum esse Maleficum per nouum maleficium, maleficium dissoluere; cum semel malus, semper presumatur malus, ex reguli, iuris in 6. Non sunt, inquam, Contrarij, nam statim addunt, nisi dubium vincatur. Cum ergo vinci aliquando possit, ut dictum est, Doctores aduersus nostram resolutionem, nequaquam stant. Fato tam, multa prudentia in tanto dubio, parique cautela opus esse. Sic ille, lib. 2. in Decalog. cap. 6. §. 2. num. 10. Legatur Lessius lib. 2. cap. 44. num. 46. Contrarium huius secundæ responsionis, sentit Fagundez loc. cit. cap. 42. in fine. Suarez, Sanchez, & Delrio, sed possunt explicari modo dicto.

## QVÆSTIO XXVIII.

*An, si quis à Maleficio petat, ut maleficium, sine maleficio, ( siquidem potest ) dissoluat, & illi medeat, si accidat, ut Maleficus velit illi mederi applicando aliquas medicinas superstitiones, posset Maleficiatus id permittere?*

**R**espondeo ut certum: Non posse. Quia tunc Maleficiatus permittens, positive cooperaretur ad superstitionem illam, quæ actu fit; eo quod Maleficus, seu Magus, nullas medicinas possit applicare Maleficato in sua persona, vel suis rebus v. g. equo, absque eius consensu: ergo si consentiat, censendus est vti opera Malefici in sui curatione: ergo. Sic Suarez lib. 2. de superst. cap. 18. in fine. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 95. num. 12. & lib. 2. in Decal. cap. 41. num. 15. & 16. Lessius lib. 2. de Inst. cap. 44. num. 46. Palaus punct. 12. n. 6. Tamburin. §. 2. cit. n. 8. Trullench lib. 1. in Decal. c. 10. dub. 13. n. 7.

## QVÆSTIO XXIX.

*An, teneatur quis petere, & rogare Maleficum, ut dissoluat maleficium modo licito, cum possit?*

**R**espondeo tanquam certum: Teneri lege Charitatis, si speret, quod petendo, & rogando, ut medio licto vtatur, retrahere possit à peccato su-

*R. P. Leand. in Decalogum.*

peccatum. Ratio est: quia lege Charitatis tenetur quis, si commode potest, proximi peccatum vitare. Sic Suarez, Sanchez, Lessius, Palaus citati, & Fagundez loc. cit. n. 12.

## QVÆSTIO XXX.

*An, licite posset, quis, petere à diabolo, ut maleficium dissoluat, vel maleficio vexare cesseret?*

**A**ffirmat Guido Brianson in Collectario super 4. sentent. question. 13. concl. 3. per hæc verba: Imo, si proprius diabolus dedisset mihi talia ( idest, vexationem, seu impedimentum aliquod ) dicerem sibi, quod à me remoueret tale impedimentum, nullo ramen modo, faciendo sibi homagium. Ita ille fauet aliquiliter Lessius lib. 2. c. 44. dub. 6.

Sed ut quid certum Respondeo, Non posse. Quia petitio est signum submissionis, & indigentiae in petente; & superioritatis, & potestatis in eo, ad quem petitio defertur: at hominem Christi sanguine redemptum, se dæmoni submittere, & protestari eius auxilio, & ope indigere, illumque ut potentem, ad subueniendum recognoscere, est grauisima diuinæ Maiestatis iniuria: ergo. Sic Delrius libro 6. disquisit. Magic. capit. 2. secl. 1. question. 2. dicto 4. vbi ait sententiam oppositam esse prorsus periculosam. Suarez libro 2. de superst. capit. 18. numero 5. & 8. Sotus in 4. dist. 34. question. 1. art. 3. Sanchez libro 7. de Matrim. disputatio. 95. num. ultimo, & libro 6. in Decalog. capit. 41. numer. 17. vbi Lessium explicat. Palaus disputatio. 1. de superst. punct. 12. numero 7. Trullench libro 1. in Decalog. capit. 10. dubitatio. 13. numer. 7. Filliuc. tract. 24. cap. 8. quest. 4. num. 192.

## QVÆSTIO XXXI.

*An saltē, liceat imperare, & mandare dæmoni, quod cesseret maleficio illo torquere maleficatum?*

**A**ffirmandum videtur. Quia cogere dæmonem vi præcepti, ut contra eius voluntatem à nocendo cesseret, aut maleficium dissoluat, est illi valde molestum, & inhonoratum: ergo licebit.

Sed ut certum Respondeo, Nec licere. Quia tale imperium, seu mandatum ( nisi nomine Christi per exorcismos fiat ) vanum est, & superstitionis: quia dæmon homini mortali non subditur, nec ab illo cogi potest, nisi in virtute alicuius pacti cum ipso: ergo. Bene tamen poterit quis cite dæmoni indignari, illumque obiurgare & temnere dicendo: ut quid male facis: cessa male facere: vincula iniquitatis dissolue. Nam hæc verba in hoc euentu, non habentur ut præceptiva, sed obiurgativa, sicuti dicis cani molesto; ab his. Suarez, Filliuc. Sanchez Trullench, & Palaus loc. cit. & Lessius, in noua edit. lib. 2. cap. 44. num. 45.

## QVÆSTIO XXXII.

*An, liceat cuiquam signa maleficiorum inuenta, veluti capillos, ligaturas, nodos, & alia, soluere, amouere, destruere, & in ignem coniicere, ut sic Malefici salus obtineatur?*

**N**Egarunt quidem docentes, id non licere. Quia cum signum maleficij amouetur, sanitas expectatur non à Deo, vel Sanctis per miraculum, nec à causa naturali: ergo à diabolo: atqui hoc est superstitionis: ergo non licet tale signum soluere, amouere, vel destruere. Ita tenuere olim Ioannes Hessels Louaniens, & Heselliū eiusdem discipuli, pro quorum opinione refert Delrius quatuordecim argumenta, lib. 6. disquisit. Magic. c. 2. seft. 2. q. 3. pag. mihi 165.

Sed tanquam certum: Respondeo licere cuiquam, nempe, vel ipsi Malefico, vel cuicunque alij, signa maleficij amouere, & comburere, non solum, vt contrarij admittunt, animo irridendi dæmonis, eiusque superstitione artis; sed etiam animo obtainenda salutis Maleficiati, eiusque morbi cessationis. Ratio sit: quia destruendo signa maleficij, adhuc intentione obtainenda salutis Maleficiati, nec pactum, nec amicitia cum dæmonie confirmatur, aut de nouo initur; nec rursus honos aliquis illi exhibetur: ergo cum finis huius actionis sit honestus, & licitus, & media vident culpa, licita omnino erit illa destruētua maleficij actio. Hanc sententiam latissimè variis exemplis, & rationibus, necnon ex communi praxi virorum probat Delrius loc. citat. sic etiam Scotus in 4. distinct. 34. quest. unica Caiet. tom. 2. opusc. 12. Nauarr. capit. 11. numero 29. Sotus in 4. distinct. 34. quest. unica, artic. 3. col. 6. Martinus, Bartholom. & Petrus de Ledesma, Armilla, Bannez, Castro, Rodriguez, Lopez, Vega, & alij plurimi, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 7. de Matrim. disputat. 96. numero 3. & lib. 2. in Decalog. cap. 41. numero 19. Suarez lib. 2. de Superst. cap. 17. numero 9. Lessius lib. 2. de iust. cap. 44. dubit. 6. numero 36. & 39. Sayrus in Clavi Regia lib. 4. cap. 6. fine. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 43. numero 5. Palaus disputat. 1. de superstit. punct. 11. numero 8. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 10. dub. 13. num. 8. Villalob. 2. p. tract. 28. diff. 11. num. 2.

## QVÆSTIO XXXIII.

*An, non solum licitum, sed obligatorium sit ei, qui conscienti signi maleficij fuerit, illud destruere, & comburere?*

**R**espondeo vt certum teneri & obligari vel ex lege Charitatis, vel Iustitiae. Quia quilibet tenetur, si commode potest, peccata impedire, & pro honore diuino pugnare. Sic Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 41. nn. 22. his verbis: *Nec tantum licet id signum destruere, sed tenetur Maleficus, vel quicumque alius id efficere: Ille quidem, tanquam damnificator, lege iustitia; hic autem, lege charitatis, si commode potest: nisi sit Minister iustitia; tunc enim tenebitur etiam lege iustitia.* Quae ex se patent. Et docet Suarez eod. cap. 17. n. 13. & cap. 14. num. 12. Hucusque Sanchez, Palaus etiam ex utroque, disp. 1. pun. 11. n. 9.

## QVÆSTIO XXXIV.

*An, liceat maleficij signum destruere, casu, quo ex illius destructione, aliquod damnum in ipsum Maleficum refundatur, eo quod ita patet est dæmon cum Malefico?*

**R**espondeo licere omnino. Quia destruens signum, nulla ratione concurrit ad Malefici damnum; sed solum sibi consulit, destruens signum: & damnum, quod inde Malefico (aut forsan alij tertio, Malefico ita paciente cum dæmonie) est præter intentionem: nec vere sequitur ex illa signi remotione; sed ex pacto dæmonis promittentis nocturnum Malefico (vel alteri tertio) remoto maleficio, cui remouens nullatenus cooperatur. Sic Ouandus in 4. dist. 34. disput. unica, in fine. Sanchez lib. 7. de Matrim. disput. 96. num. 5. & lib. 2. in Decal. cap. 41. num. 21. Suarez loc. cit. n. 13. Palaus num. 9.

## QVÆSTIO XXXV.

*An, non solum sit licitum, & obligatorium signa maleficij remouere, & comburere; sed etiam signum contrarium apponere, quo posito, destruatur pactum prius, & dæmon desinat nocere?*

**R**espondeo etiam esse licitum, signum posituum contrarium apponere; dummodo sit bonum, vel saltem de se indifferens, & eo fine apponatur, vt celsus dæmon à nocendo, & dissoluatur confederatio facta. Ratio est: quia hæc omnia fiunt animo, & intentione destruendi artes dæmonis, & tollendi signū, cui adstrictus est ad nocendum, quod per se est omnino licitum: sic Sanchez lib. 2. in Decal. c. 41. num. 25. Suarez c. 17. n. 16. Lessius dubit. 6. cit. num. 45. Palaus n. 10. Fagundez cap. 43. n. 6. Qui ex Sicario, hanc rem exemplis declarat sic Ponamus, pactum cum dæmonie fuisse hoc: *Quandiu haec olla ē terra non extrahatur, & loco illius aliquid ponatur v.g. Lapis, regula, aut locus ille aqua benedicta aspergine non luatur, non cessabit maleficium, nec recuperabitur sanitas.* Item, si Sagam percussit à tergo inficeris: si illam percussiveris, cessabit maleficium &c. licitum erit tibi ollam eruere, & loco illius lapidem ponere, & aqua benedicta locum aspergere, & Sagam repercutere; modo hæc omnia fiant non animo colendi dæmonem, sed destruendi pactum illius, nec ex affectu amicitiae illius, sed ex odio ipsius.

## QVÆSTIO XXXVI.

*An possit quis interrogare alium Maleficum, an norit, in quo maleficium consistat, vt sic signum destruatur?*

**R**espondeo Posse: vt constat ex dictis. Quod si Maleficus id ignorat, minime potest induci ad id per suam artem inuestigandum. Quia id esset, inducere ad maleficium, quo mediante id à dæmonie addiscendum esset. At si forte is Maleficus per maleficium à dæmonie didicerit, licebit ea scientia ad destruendum maleficij signum vti. Quia quamvis peccatum grauissimum sit, notitiam alicuius rei à dæmonie procurare; at ea semel habita, licet

Iieet vti , vnde si quempiam veram grammaticam, aut Philosophiam dœmon doceret, peccaret qui-dem lethaliter sic addiscendo ; sed postea careret culpa , illa tanquam vera scientia vtens , & non tanquam à dœmone accepta. Sic ex Ouando, Sanchez lib.7. de Matrim. disput. 96. num.4. & lib.2. in Decal. cap.41. num.20. Fagundez lib.1. in Decal. c.43. num.14. & 15.

## Q VÆST I O XXXVII.

An liceat Iudicibus volentibus Maleficum torquere , efficere , ut eius corpus abluatur , & capilli totius corporis eius abradantur ?

**N**egandum videtur. Nam , etiam iis factis , & omni maleficio destructo , adhuc potest dœmon nocere Maleficiato , & Maleficum insensibilem reddere : ergo superuacaneum est tale medium.

Sed tanquam certum respondeo licere : Quia id non fit gratia alicuius superstitionis ; sed dumtaxat ne maleficium lateat foraminibus insertum , vel crinibus inspersum ; aut aliqua vncio subsit , quibus Maleficus non sentiat dolorem tormentorum : aut denique ad tollendum pactum initum cum dœmone. Sic Tamburin. lib. 2. in Decalog. capit. 6. §.2. numero 13. dicens : *Quando indices pilos radunt , vel lauant Maleficos torquendos , ne iij insensibiles sint ad tormenta , non solum id licite faciunt , vt tollant signum dœmonis , fortasse sub pilis , vel in vngione corporis latens , ( que est communis Doctorum explicatio ) sed etiam , quia potuit euenire , pactum cum dœmone fuisse , vt ad torsionem pilorum , vel lotionem corporis cessaret conuentio.* Sic ille. Sanchez lib.7. de Matrim. disputat. 96. numero 6. ad quintum argumentum & lib.2. in Decalog. cap.41. numero 11. qui bene notat , secus dicendum , si capillorum tonsio fieret , credendo amitti vires per illam , instar Samsonis , quia id esset superstitionis. Lessius lib.2. c.44. dubit. 6. numero 44. Martin Delrio lib.5. Magic. sect. 9. dub. 3. vers. Ut his indices , in fine. Palaus disput. 1. punct. 11. num. ultimo. Vbi ad rationem dubitandi , negat consequentiam. Quia regulariter Deus non permittit , dœmonem operari , nisi in vi pacti cum Malefico , & posito signo. Quare non est superuacaneum , sed vtile id à Iudicibus fieri. Legatur Suarez lib.2. de superst. cap. 17. n. 15.

## Q VÆST I O XXXVIII.

An etiam liceat iudicibus , causa curiositatis , vel verificandi delicti , aut alterius finis , præcipere Maleficiis , vt coram illis exerceant aliquod maleficium ; v. g. vt faciant subito ibi apparere ranas , vel Stryges , vngione quadam linitas , per aera ferri ?

**R**espondeo tanquam certum : Non licere. Quia est intrinsecè malum : cooperarentur namque Maleficorum peccato. Sic Sanchez lib.2. in Decalog. cap.41. n.4. Palaus pun. 11. cit. n.6.

R.P. Leand. in Decalogum.

## Q VÆST I O XXXIX.

An , scientia vel Arte , semel acquisita dœmonis ope , vti postea licet ?

**N**egandum videtur. Quia scientia vel Ars consecuta ope dœmonis , omnino est repudianda in detestationem peccati , quo acquisita fuit.

Sed vt certum respondeo : Posse postquam iam semel acquisita ( etiam malo modo ) fuit ; ea postea vti : dummodo conseruatio , aut usus illius scientiae vel artis , à dœmone amplius non pendeat. Ratio est : quia peccatum , quo acquisita fuit , iam pertransiit : & cognitio , seu scientia ex se bona est , quamvis à creatura omnino mendaci tradita : & ideo quisquis potest illa vti , vt diximus supra q.36. Et ita tenent Valentia 2.2. disput. 6. q. 13. punct. 2. Sanchez lib.2. in Decal. cap.41. num.1. & 22. & c.42. num.20. & lib.7. de Matrim. disp. 96. num.4. Suarez lib.2. de superst. cap. 17. num. 1. & 2. Bonac. disput. 3. cit. q.5. punct. 4. num.6. Trullench lib.1. Decal. cap. 10. quos omnes citat , & sequitur Lopus in edict. inquisit. par. 3. lib. 15. diff. 1. artic. 1. diff. 2. pag. 259. Tamburin. lib.2. in Decalog. cap. 6. §.2. numero 11. Martin Delrio lib. 2. disquis. Mag. quest. 4. Victoria de Magia quest. 4. num. 15. Palaus disput. 1. de Superst. punct. 1. num. 1.

## Q VÆST I O X L.

An , pecunia , aut alia bona externa , arte dœmonis comparata ; possint à quois retineri ; eisque vti licite quis ?

**R**espondeo etiam vt certum : Posse illa retinere , eisque vti , ac si à Deo essent diuinatus concessa ; dummodo prenitate prius peccati , quo acquisita fuere , & à dœmone in conseruari non pendent , nec sint ab aliis sublata. Sic Tamburin. lib. 2. in Decalog. capit. 6. §.2. numero 11. ita scribens : *Ex eadem ratione possum vti equo v. g. meo inuenio per artem magicam ; & frui sanitate per eandem acquisita ; imo , & pecuniam retinere à dœmone fore habitam (modo non constet moraliter fuisse ab aliquo ablatam ; tunc enim esset Domino restituenda) . & similiam quamvis graniter peccauerim in illis à dœmone obtinendis , non tamen postea illis rebus ex se bonis vidento , peccatum committo : vt nec committit Meretrrix dum retinet , fruiturque pecuniis , illicite ex suo peccato comparatis.* Sic ille. Et omnes DD. citati quest. antecedenti , cum communi.

## Q VÆST I O X LI.

An , teneatur Maleficus damna illata integrè resarcire ?

**R**espondeo vt certum : Teneri. Quia , qui causam damni dat , damnum fecisse censetur : atqui Malefici , seu venefici , sunt causa horum danorum ; etsi opera dœmonis , tanquam ministri vtan-tur : ergo tenentur integrè illa restituere ; sicut tenentur qui per Assasinum alium occidit , vel eius res dilapidat. Sic Suarez lib.2. de superst. cap. 14. num. 12. addens ex Nauarro , & Binsfeldio , *Dictam obligacionem*

tionem restituendi non extingui, etiam si Maleficus corporaliter puniatur: nam per illam pœnam satis facit Republica, & institutæ legali; non parti læsa, nec iniustitia commutativa. Et ideo si talis Maleficus bonare liquit, quæ ad heredes transferunt, illi tenentur ad restitutionem, iuxta cap. In literis. de Raptorib. Si vero ad Fiscum peruererunt, Fiscus tenetur prius damna illata restituere, iuxta l. Non possunt. & l. In summa ff. de iure fisci. Sic ille. & Sanchez lib. 2. sum. c. 41. numero 23. Lopus, 3. p. libro 20. dist. 5. artic. 4. diff. 2. & alij omnes. Quod amplius ex iam dicendis patebit.

## QVÆSTIO XLII.

An Maleficia potius sint imputanda Maleficis, quam dæmonibus?

**R**espondeo, Posse esse imputanda Maleficis. Quia quamvis dæmones sint causa principalis Maleficiorum; eo quod cum propria virtute, & immediata actione noceant, tam hominibus, quam animalibus; ceterisque rebus: at quia sine ipsis Maleficis (regulariter loquendo) Deus non permittit dæmonibus, ut Maleficia patient; immo nec ipsi sine excitante Malefico (sue Malefica) illa attentare soleant, ideo Maleficis potius, quam dæmonibus, maleficia imputantur. Sic ex Iacobo Sprenger Mall. Malefic. 2. p. cap. 11. docet Lopus in edit. S. Inquisit. par. 3. lib. 20. dist. 3. diff. ultima.

## QVÆSTIO XLIII.

An, dæmones ad nocendum, necessario indecant usu Maleficiorum materialium, ut veneno, oſibus, pilis, &c.

**A**ffirmandum videtur. Quia dæmones, regulariter, non nocent, nisi prius factis, & positis Maleficiis materialibus, veluti assignatis. ergo.

Sed ut certum, Respondeo. Non indigere. Quia teste experientia, dæmones quampluribus nocuerant, absque præuiis Maleficiis, & præcipue Sanctis, vt D. Antonio, Hilarioni, & aliis, & colligitur ex cap. Nec mirum. 26. qu. 5.

Nec obstat ratio dubitandi: Quia licet dæmones per se tantum possint malum, ex sua malitia, inferre hominibus, aliisque rebus; placet tamen illis, res naturales, & multoties inefficaces adduci à Magis; tum, vt facilius rudes fallat: Tum, vt minus eius præsentia dignoscatur. Tum denique, vt magis in eo homines confidant, videntio eius fidem circa harum rerum concursum. Sic ex Binsfeldio, docet Lopus libro 20. cit. dist. 3. art. 2. diff. 2. Legatur Torreblanca lib. 12. Iris Spirit. cap. 2. num. 22. & cap. 7. num. 24.



## DISPUTATIO IV.

De Lamiis, Sagis, & Strigibus,  
( Hispanè, Bruxas ) &  
Veneficis.

## QVÆSTIO PRIMA.

Cur mulieres arti magice deditæ; Lamia, Sagæ, Striges, & Veneficæ appellantur?

**R**espondeo, Primo Quod Lamia, vocantur per similitudinem, à Lamia, quæ est animal quoddam monstrosum, & crudeli, muliebri facie præditum, vberibus, ac toto corpore speciosum, vt homines allicit, & allectos deuoret, puerosque iugulat, capit, perdit, & illorum sanguinem fugit. Et quia huiusmodi nefariae mulieres, maxime huic scelerato operi sunt intentæ, Lamiae appellantur, etiam à Sacra Scriptura Hierem. Threnor. cap. 4. sed & Lamia nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos, &c.

Secundo vocantur Sagæ, à Sagacitate, vel à Sangendo; Tum, quia nimis versutæ in inferendis malis reperiuntur. Tum etiam, quia multa scire, quæ non expedit, volunt; & ob id se dæmonum artibus immiscent.

Tertio vocantur Striges, ab Strige auicula, quæ nocturno tempore, hic, illucque volant stridendo, & infantium corpora noctu inuadunt, suffocant, & illorum sanguinem exugunt: quæ qualitates bellissimè his similitudinariis Strigibus adaptantur; cum noctu præcipue in maleficiis faciendis, & infantium sanguinem fugendis versentur.

Quarto vocantur Veneficæ. Quia plerumque veneno nocent. Legantur Fagundez libro 1. in Decalog. cap. 41. à num. 3. Lopus in editum S. Inquisit. par. 3. libro 20. dist. 6. artic. 1. diff. 1. Torreblanca libro 12. Iris Spirit. cap. 8. num. 1. & 7.

## QVÆSTIO II.

Quare plures multo fæmina, quam viri; his Maleficiis deditæ reperiantur?

**R**espōdeo, ob multas rationes. Prima si: quia fœmine potentiores sunt ad credendum, & facilius decipiuntur, quam viri; & ideo frequentius eas dæmones aggrediuntur, & fallunt.

Secunda. Quia fœminæ nimia afficiuntur ira; non enim est ira super iram mulieris, & ita in eos, quos odio habent, nesciunt se continere; quapropter cum viribus sint inermes, ad maleficia configiunt, vt sic per lenonem dæmonem, in inimicorum corpora immittant ægritudines, infortunia, & egestates: & in prædia grandines, & fulgura: atque in filios oppressiones, &c.

Tertia. Quia tota diabolica illa tragedia, quam Striges cum diabolo peragunt, ad id tendit, vt fœdissimis complexibus, impudentissimisque connubiis

biis dæmonibus, qui humana forma eas ludificant, libidinosè commisceantur: vnde cum fœminæ portet humiditatem promptiores sint ad venerem, quām viri cap. Quod proposuisti. 23. quæstio. 7. inde est, quod plures fœminæ, quam viri, in hac libidinis arte se exerceant. Legantur de hac re Sprenger 1. p. Mallei Maleficar. quæstio. 6. Binsfeld. in Rubr. C. de Malef. & Mathemat. Fagundez libro 1. in Decalog. capite 41. numero 5. Torreblanca libro 12. Inr. Spirit. cap. 8. Simancas de Catholic. Institut. tit. 37. num. 3. Lupus par. 3. lib. 20. dist. 6. art. 4. diff. 1.

### Q V A E S T I O III.

*Cur potius mulieres vetulae, quām iuuenes, hac Magica, ac diabolica arte utantur?*

**R**Espondeo, Primo. Quia id faciunt ex odio pueritiae, quæ primam ætatem perditam plorant. Secundo. Quia puerorum sanguinis potu, purant reiuuenesci, idque ex dæmonis suggestione; quia, vt rerum naturalium peritissimus, agnouit iuuenili sanguine humidum radicale restaurari. Quare apud Indos in Prouincia Panama, Striges multas iuuentas esse, quæ sanguinem infantorum exugebant, refert Pietr. Zieza in descript. Indie par. 2. cap. fin. Legantur Marsil. Facin. lib. 2. de vita longa cap. 11. & Torreblanca cap. 8. cit. à num. 20.

### Q V A E S T I O IV.

*Quæ mulieres inter alias, magis Malefice inueniantur?*

**R**Espondeo, Primo. Quod obstetrics, propter pueroru notitiam, vt de Hebetia narrat Sprenger Mall. p. 2. quæst. 1. cap. 13. Remig. lib. 1. de Monol. cap. 5. & Torreblanca loc. cit. n. 18.

Secundo. Quod mulieres, quæ præ cæteris vitiis carnalibus premuntur; vt sunt meretrices, & adulteræ, quæ precipue intendunt impedire vim generatiuam, aetumque coniugalem virorum cum propriis vxoribus. Legantur Sprenger Malefic. p. 6. q. 6. Lupus p. 3. lib. 20. dist. 6. art. 4. diff. 2.

### Q V A E S T I O V.

*Cur Lamiæ, aut, Striges, præ aliis noceant infantibus?*

**R**Espondeo, Quia isti resistere non possunt, nec reclamare; neque accusare. Et potius nocent nondum Baptizatis, quām Baptizatis; partim ex diabolica inuidia, ac rabie, vt corpora simul perdant, & animas: partim quod à dæmonе falso persuasæ sint, ex corpusculis infantium posse eas parare vnguentum famosissimum ad patranda omnis generis maleficia. Sic Iodocus in Thesauro Catholico verb. Maleficium numero 16.

### Q V A E S T I O VI.

*Cur Deus tot puerorum necem permittat?*

**R**Espondeo, dicendum, quod id permittat, vt Baptizati à multis peccatis præseruati in cœlum citius rapiantur fœlices. Et etiam in pœnam

parentum; aut, ad eorum probationem. Non verò Baptizati, vt ne viuentes grauiorem damnationem mereantur. Sic Iodocus loc. cit. vers. Permittit autem Deus. Torreblanca cap. 8. cit. num. 23. Lupus lib. 20. cit. dist. 2. artic. 1. difficul. 3.

### Q V A E S T I O VII.

*Cur Deus tanta maleficia permittat?*

**R**Espondeo, Primo, quod est ad manifestacionem suæ gloriae, dum in his euentis, nunc quosdam liberando, suam ostendit clementiam: nunc alios relinquendo in periculis, suam exercet Iustitiam, nunc contra dæmones, suam potentiam, &c.

Secunda ratio est, varia utilitas hominum. Permittit enim maleficia Deus, vt homines, aut à peccatis absterrentur, & alij, aliorum periculo, redditantur cautores: aut in eis Deus exerceat virtutes; patientiam, constantiam, humilitatem, & alia, exemplo Sancti Iob.

Tertia est, vt firmetur Catholica Fides de dæmonum potestate, malitia, inuidia, deceptionibus, de que tota Doctrina Maleficiorum, & superstitionum, vt ea fideles sciant esse vitanda, atque cauenda. Sic Iodocus in Thesauro Catholico verbo Maleficium, numero 3. ex Delrio lib. 3. Magic. disq. quæstio. 7. sectio. 1.

### Q V A E S T I O VIII.

*An, sit posibile, quod dæmones ad mulieres accessum habeant, & fiant incubi, & succubi?*

**N**Egarunt aliqui. Quia dæmones verè sunt spiritus, & corporis expertes, vt omnes Catholici docent: ergo fieri non potest, quod cum Lamiis commisceri queant, & incubi, & succubi illarum fiant. Et confirmatur. Quia vbi non est corpus, non est cibus, neque potus, non sperma: at vbi non est sperma non est cupiditas generandi: ergo cum spiritus corporibus nudi sint, nec sibi, nec esuriere pollunt; nec venies libidine inflammari: ergo nec fœminis copulati. Ita senserunt Plutarchus in Numan. Eugobinus de perenni Philosoph. libro 8. capit. 27. Ponzinibus lib. de Lamiis. Cardanus lib. de subtilitate. Alder Molitor de Pythonica muliere cap. finali. Peramato, de hominis procreatione cap. 1. Franc. Valleriola Enarration. Medicar. tom. 1. & nonnulli alii.

Sed tanquam quid certissimum, Respondeo. Esse possibile, quod dæmones, in assumptis corporibus, accessum habeant ad mulieres; imò & ad viros, & cum illis, fiant incubi; cum iis verò, succubi. Possunt namque dæmones assumere corpus elementare ex aëre fabricato, vel cadaueris exuuias subire, & ea cogere ad actiones viuentium, gestu, motuque imitandas. Sic decisum fuit ab Innocent. VIII. anno 1484. Vbi scribens ad Inquisidores Germaniae, sic loquitur: *Summis desiderantes affectibus. Complures utriusque sexus persona, proprie salutis immemores, & à Fide Catholica deuiantes, cum dæmonibus, incubis, & succubis abusi. Sic Pontifex Et sic tenent communiter omnes Catholici. Thom. 1. p. quæst. 51. art. 3. & 2. 2. quæst. 96. Delrius lib. 2. disquis. Mag. quæst. 15. concl. 1. Gerson. Alexander de Ales Psellus, Cælius, Brunus, Spino-*

neus, & alij, quos citat, & sequitur Simanc. de Catholic. Institut. tit. 37. num. 5. Fagundez libro 1. in Decal. cap. 41. numer. 7. Iodocus in Thesauro Catholico v. Maleficium. numer. 8. Castro, Toledo, Sprenger. Nider, Parisiens. Suarez, Malderus, Raphael de la Torre, Valle, Binsfeld. & alij plures quos citat, & sequitur Torreblanca lib. 5. Iuris Spirit. c. 1. numero 4. & 11. Ad rationes contrarias ex mox dicendis fiet satis.

## Q V A E S T I O I X.

An, dæmones accedentes ad mulieres, seu viros; peccato carnali delectentur?

**A** Firmandum videtur: Quia, ut Iosepho Hebraeo placuit, dæmones semen prolificum, quamvis tenuerit, & aërem, habent: ergo possunt illud præbere, & decidere: ergo in tali decisione delectari.

Sed vt quid certissimum, Respondeo. Minime posse peccato carnali delectari. Quia certissimum est, nullum semen prolificum habere dæmones. Nam hi sunt substantiae spirituales, & incorporeæ: ergo nequeunt semen corporeum præbere: ergo nequeunt consequenter peccato carnali delectari. Confirmatur: Quia si carnalis delectatio esset in dæmonibus, possent illam explere, assumendo alij formam speciosissimam mulierum, & alij speciosissimam virorum, & sic commisceri, & coniungi; atqui inter se exercere hunc actum est inauditum: ergo. Sic omnes. Legantur Bened. Pereira in Genes. lib. 8. in Genes. 6. disp. 12. Paulus Grillan de sortileg. questio. 7. à numer. 12. & alij, quos citat Torreblanca lib. 5. Iuris Spirit. cap. 2. Lopus in edit. S. Inquisit. p. 3. libro 20. in 2. p. dist. 8. art. 1. diff. 1. pag. 386. Qui ait, in tali actu, solum delectari Dæmones ex inuidia contra genus humanum, inuidentes eius felicitati ætornæ, &c.

## Q V A E S T I O X.

An saltē mulieres, aut viri, capiant carnalem delectationem ex coniunctione cum dæmonibus?

**R** Espondeo, vt certum Capere. Quia licet non sit ibi realiter similitudo naturarum, nec vera decisio seminis ex parte dæmonis, est tamen apparenſ, aut aliunde ab aliquo homine allatum; adeſtque ſimil imaginatio fortis, quæ facit casum. Rursus ſe repræſentant in similitudine Amasij, & Amasie, & astutia dæmonum inflammatur caro mulieris, aut viri, quibus coniungi volunt, operaturque maximè, vt illa titillat, & pruriat, &c. Sic communis. Legatur Lopus in edit. S. Inquisit. par. 3. libro 20. dist. 8. in 2. p. articul. 1. diff. 1. Ludouicus v. Maleficium, numero 8. vers. Quinto. vbi ait, quod potest dæmon concubitum cum muliere, non minori voluptate facere, quam maritus. Quod ad dictum negat Bassus tom. secundo v. diuinatio sub numero 5.

## Q V A E S T I O XI.

An, dæmon posſit eſſe incubus ſeminae, coram multis; absque hoc, quod videatur à circumstantibus?

**R** Espondeo, Posſe. Vel interponendo aliquod medium corporale, inter mulierem, & ipſum; itavit, nec mulier ſuccuba videatur: vel faciendo, quod descendat ex oculis aſtantium aliquis humor rubeus, vel aqueus visionis impeditiuſ. Sic Sprenger in Malleo Malefic. p. 2. capit. 8. Lupus loc. citat. diff. 2. pag. 386.

## Q V A E S T I O XII.

An, ex dæmonis cum muliere concubitu, poſſit generari proles?

**N** Egat Torreblanca libro 5. Iuris Spirit. cap. 2. à num. 34. docens, dæmonem no poſſe ex ſemine hominis aliunde allato, prolem generate. Primo *Quia magna verè confusio, & perturbatio creaturarum, hunc orbem occuparet, ſi liceret dæmonibus, ex virorum coitu concipere: aut ſi poſſent mulieres dæmonum conſortio granida fieri.* Quot iam monſtra à condito mundo nobis dæmones peperiff? Quot prodigia protuliffent, immisso in ferarum, & brutorum animantium paſſim vulnas ſemine ſuo, &c.

Secundo *Quia hominis generatio nullatenus poſteſ fieri, niſi à vero homine, & muliere apte admixta per actum carnalem, & per ipſa instrumenta proportionata, ne ſemen euaporetur.* Ita ille. Qui & citat pro ſua ſententia, D. Augustin. de Ciuit. Dei lib. 15. capit. 23. Eugubinum de perenni Phylosoph. libro 8. cap. 27. Vlderic. Molitorem de Phytonica muliere cap. final. Nicolaum Remig. libro 1. de Monolat. capit. 6. Ambroſium Pareum libro 34. de monſt. cap. 16. Petruſ Peramato de hominis procreat. cap. 1. Franciſcum Valleriola enarrat. medic. tom. 1. Ildefonſum Carranza de legitimo partu deſig. quest. 10. numer. 98. Hieronymum Mercurial. de morbis mulier. capite 2. Ioannem Schenkiem obſeruat. medic. tom. 2. & Philippum Boifard. de Magis incubis cap. 7. Et quamvis hæc ſententia ſit probabilis, vt diximus 2. p. tratt. 9. de Matrim. diff. 20. quest. 7.

Sed probabilius, Respondeo. Poſſe ex dæmonis cum muliere concubitu, & congressu generari hominem: non quidem ex ſemine prolifico, quod in ſe habeat; ſed ex ſemine alicuius hominis, quod illi dormienti, vel per illusionem nocturnam, vel per actum carnalem excidit, & mira agilitate, & ſubtilitate à dæmonie incubo excipitur; atque in mulierem ſuccubam immittitur; vt cum eius ſemine inſceatur, fiatque prolis conceptio. Nec hoc eſt dæmoni difficile; cum poſſit facile obſeruare tempus, & conditionem mulieris ſuccubæ, quando diſpoſita eſt ad concipiendum. Sic tenet communis Theolog. S. Thom. 1. p. quest. 51. art. 3. & quest. 66. art. 4. & quest. 115. art. 5. & ſentent. 2. dist. 8. & quodlib. 7. quest. 10. D. August. libro 3. de Trinit. capit. 5. D. Bonavent. in 2. ſent. dist. 8. art. 3. quest. 1. Sotus q. unica Gabriel. quest. 1. concl. 2. Caiet. 2. 2. quest. 95. art. 3. Medina ibi quest. 72. art. 2. Sprenger in Malleo 1. p. quest. 3. & 4. & par. 2. quest. 1. cap. 4. Martin. Delrius lib. 2. Magic. diſquis. quest. 15. concl. 1. Castro, Nider, Suarez, Binsfed. Malder. & alij plures,

apud

apud Torreblanca loc. cit. cap. 2. num. 13. & 18. Quibus addi possunt Iodocus in Thesauro Cathol. verb. Maleficium, num. 8. vers. Secundo. Vbi ait, id esse indubitatum apud Philosophos, & Theologos Lupus, in edit. Inquis. lib. 20. in 2. parte dist. 8. art. 2. diff. 1. vbi citat Scotum in 2. dist. 7. quæst. unica. Simancas de Catholic. institut. tit. 37. num. 5. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 4 1. num. 7. & alij, cum quibus iam egimus 2. p. vbi supra.

### QVÆSTIO XIII.

An etiam, ex homine mare, & dæmone (assumpto mulieris corpore) succuba; possit generari proles?

**A**ffirmant Petr. Ledesma, Rodriguez, Viuald. Lopez, & alij, quos, & alios usque ad viginti Doctores, citat, & sequitur Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 21. num. 2. & lib. 7. disp. 64. numer. 15. Bonac. Hurtado, Filluc. Molfes. Gutierrez, Candid. Lublinus, Rebellus Cornejo, Luysius, & Trulench. quos retulimus 2. p. tractat. 9. disputat. 20. quæst. 7.

Sed ut quid certum, Respondeo. Non posse. Quia longè plura hic requiruntur. Nam longè plura matres, quam patres suppeditant ad generationem, & procreationem prolis. Quia licet in conceptione par forte utriusque sit conatus; post tamen omnia solius sunt matris. Requiritur enim tractus temporis, ut semen, amare acceptum, in corpus organicum commutetur, & perficiatur; Requiritur etiam continua vegetantis animæ operatio in foetu alendo; & alia plura, quæ omnia minime potest dæmon in assumpto maliebri corpore praestare. Vnde, si quæ sunt exempla, ita fuisse aliquos genitos; pro suppositiis sunt habendi, scilicet, pro natis ex dæmonе incubo, & muliere succuba: vel quod dæmon succubam mulierem agens, furto aufert aliorum proles veras, & pro suis Marito affert. Sic Delrius loc. cit. & ex illo Iodocus verb. Maleficium. numer. 8. vers. Tertio. Torrebl. capite 2. citat. numero 47.

### QVÆSTIO XIV.

An, possint dæmones efficere, ut virgo, sic permanens, prolem concipiat, & pariat?

**N**egat & à fortiori Torreblanca cum aliis supra adductis, lib. 5. Juris Spirit. cap. 2. numero 45. his verbis: *Quare clausas mulieres, & Virgines gravidas fieri, roris modo attracto humano semine, prater quam, quod ridiculum est à Cacodæmonie confitum existimo, ut vera Virginis Sanctissimæ conceptus, & partus, magnum, & extra hominum captum, Sacramentum, non ita miraculosum esse persuadeat, ut assertit Carranza de legit. part. designat. capite 10. ex numero 7.*

Sed probabilius, Respondeo. Posse facere, ut sic concipiatur; non vero, ut sic pariant. Probatur: quia potest dæmon semen prolificum, & verum, à viro aliquo occulè excipere, illudque infundere Virginis dormienti, & ignaræ, sine concubitu, aut congressu carnali, hymene, aliisve claustris Virginitatis incorruptis, ut ita manens virgo mente, & corpore prolem concipiat, & foueat. Ut autem, in partu Virginitas, seu eius claustrum, conseruetur, hoc dæmon nequit praestare; cum ad hoc vera corporum penetratio requiratur, quæ soli virtuti diuina referuatur, qua solus Christus Dominus natus est ex Maria Virgine. Sic Delrius loc. citat. vers. His consentaneum est. Iodocus verb. Maleficium. 8. vers.

Quarto. Legatur Sanchez lib. 7. de Matrim. qu. 113. numero 10. vbi docet ex D. Thoma, quandoque contingere foeminam incorruptam concipere.

### QVÆSTIO XV.

An, ex prefata dæmonis cum muliere copula, oriatur affinitas aliqua?

**A**ffirmant Petr. Ledesma, Rodriguez, Viuald. Lopez, & alij, quos, & alios usque ad viginti Doctores, citat, & sequitur Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 21. num. 2. & lib. 7. disp. 64. numer. 15. Bonac. Hurtado, Filluc. Molfes. Gutierrez, Candid. Lublinus, Rebellus Cornejo, Luysius, & Trulench. quos retulimus 2. p. tractat. 9. disputat. 20. quæst. 7.

Sed æque probabiliiter iterum, Respondeo. Non oriri. Quia, ut contrahatur affinitas necessaria est carnalis copula, & quod per illam fiant vita caro: atqui ex dæmonie incubo & muliere non potest fieri una caro; cum semen ex parte dæmonis non sit decisum; sed aliunde asportatum: ergo. Sic Basilius, Albiz, & Diana, quos sequuti sumus 2. p. quæst. 7. cit. Quibus addo Barbosam de potest. Episcopi alleg. 51. num. 170. & Lupum in editum S. Inquisit. lib. 20. dist. 8. in 2. dist. art. 2. diff. 1.

### QVÆSTIO XVI.

An possint dæmones, Sagas, seu Stryges, de loco in locum breuissimo tempore, transferre?

**R**espondeo, ut quid certissimum, Posse, si Deus hoc illis permittat.

Ratio est, Quia non minus in hoc possunt, quam Angeli boni; cum habeant eandem naturalem potentiam: at Angeli boni id possunt, ut constat ex Scriptura Danielis capit. 14. vbi dicitur, Angelum Domini de Iudea in Caldæam per capillum capitis transluisse Abacuch: ergo. Sic tenent omnes Catholicæ, qui, de Angelis malis loquendo, id probant ex Matth. & Lucæ cap. 4. vbi dicitur, Christum Dominum per diabolum à deserto ad pinnaculum templi, & de pinnaculo ad montem excelsum translatum fuisse. Itaque loquendo de potentia, nemini potest esse dubium posse dæmonem, Sagas de loco ad locum transferre; etiamsi ostia clauſa sint; quia facilissimo negotio illas potest aperire. Difficultas vero, & maxima est, an de facto id faciat. Pro quo sit,

### QVÆSTIO XVII.

An, de facto, Sagæ, aut Stryges, à dæmonibus asportentur; & conuentibus intersint verè, & realiter?

**N**egant aliqui, docentes, non asportari verè à dæmonibus; neque verè conuentibus intetesse; sed omnes dæmonibus adorationes, nefarios concubitus, conuiua; & similia, per representationem succedere.

probant Quia in cap. Episcopi 26. quæstio 5. reputantur haeretici credentes de loco ad locum Stryges, verè transferri: ergo solum modo imaginarie, & apparenter

apparenter de vno ad alium locum, à dæmonibus transferuntur. Ita sentiunt apud Delrium, ex Hispanis Fr. Samuel, & Author fortalitij fidei minoritæ. Martinus de Arles Canonista. Ex Italib, Ponzinius, integro ferè libro, Pap. à Borta libro 2. Magie naturalis, & Alciatus lib. 8. Parerg. cap. 22. Ex Gallis, Duarenus, Aerodius, & Mich. Montanus. Ex Anglis, Ioannes Salisburiensis l. Polycrat. capit. 17. in fine. Ex Germanis, Phil. Camerat. extremo c. 72. & Ulricus lib. 2. de fascino.

Sed ut certum, Respondeo dicendum, quod sæpe Sagæ, aut Lamiæ, aut Striges à Dæmoniæ asportentur de loco ad locum; & conuentibus verè & realiter intersint: sæpe verò solùm apparenter, & imaginariè, & per illusionem dæmonis.

Prima pars huius responsionis, nempe, quod Strygæ, au Lamiæ verè realiterque ad loca remotissima à dæmoniæ ferantur; & iterum ad domum propriam reducantur; iam certis testimoniis, & experientia tam certa, est comprobatum; vt id negare prorsus sit insanire; vt ait Fagundez, *infra*.

Secunda vero pars iisdem testimoniis, & experientiis comprobatur ab authoribus mox citandis. Sunt autem S. Thom. 2.2. quæst. 95. art. 5. & ibi Caiet. art. 3. D. Bonaventura 3. sentent. diff. 19. Abulensis. Matth. 4. quæst. 47. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 16. num. 24. Sprenger Mall. Malef. 2. p. quæstio. 1. capite tertio. Simanc. de Catholic. In stiunt. tit. 37. numero octauo. Maior, Siluest. Castro, Nider, & alij, quos sequitur Fagundez libro primo in Decalog. capite 41. numero nono. Valentia 2.2. disputat. 6. quæstio. 12. punct. 1. Azor. tom. 1. libro 1. capite 25. quæstio. 3. Sanchez libro secundo, in Decalog. capite 40. numero sexto. Lessius libro 2. de Institut. capite 44. dubitat. 3. numero 15. & 16. Martin. Delrio libro secundo disquis. Mag. quæstio. 10. & lib. 5. sectio. 16. numero 4. & 5. Palauis disputat. 1. de superst. punct. 9. numero septimo. Iodocus verb. Maleficium. numero nono. & Lopus in edit. Sanctæ Inquisit. 3. p. libro 20. diff. 4. artic. 1. difficul. 1. & alij. Qui ad cap. Episcopi, respondent; minimè damnari in illo credentes Sagas, seu Stryges, transferti verè de loco in locum: sed damnari credentes transferri in veras bestias transmutatas, &c. legatur Lopus, vbi alias explicationes huius textus inuenies.

### QVÆSTIO XVIII.

An, diabolus portet Sagas, Striges, modo inuisibili, aut visibili?

Respondeo, dicendum, quod vtroque modo potest. Modo inuisibili, per solius virtutis suæ applicationem ad corpus Sagarum. Ex quo fieri potest, vt aliquis manens in vno loco videat se ferri ad alium longè distantem, & non sentiat se moueri, nec videat illum, qui eum illuc portauerit. Modo visibili, & corporaliter, assumendo corpus aëreum, & tangendo aliqua eius parte, v.g. digito, Sagam, & Strigem, quam commodè portat, absque illius molestia, applicando virtutem suam motiuam, vt colligitur ex Dian. capite 14. vbi de Angelo bono. Sic Lopus lic. cit. diff. 4. difficul. 2.

### QVÆSTIO XIX.

An, dæmon posset auferre mulierem Sagam à latere sui Mariti, & eam transportare ad remotissimum locum, absque eiusdem Mariti nota?

Respondeo, Posse. Nam Sagæ, au Lamiæ ad suos Conuentusabituræ, conciliant maritis profundum somnum, ope dæmonis: & dæmon non nunquam, corpus ex aëre condensato formatum, frigidum, & insensibile, ponit in lecto, iuxta maritum, aut alio in loco, vt putetur esse praesens, quæ viuo corpore verè translata est. Sic ex Delrio, & Nicolao Regimio, docet Iodocus in Thesauro Catholico v. Maleficium numero 9. vers. Tertio.

### QVÆSTIO XX.

An, dæmones in suis nocturnis conuentibus, possint effingere figuræ piorum virorum, mulierum; vt dictis diaboliis conuentibus autoritatem prestant?

Respondeo, dicendum, quod quamvis hæc effingere possint dæmones, ob dictam causam; communiter tamen loquendo, id eis non permittit Deus. Quod si aliquando id faciat, ob finem aliquem bonum; non tamen sinit dolum istum lateve, & famam Innocentis periclitari. Sic ex Delrio, Iodocus, verb. Maleficium. numero 9. vers. Quarto. Palauis disputat. 1. punct. 9. numero 7. ad 2. Binsfeld. de Confess. Maleficar. ad 2. argum. Lupus 3.p. lib. 20. diff. 5. artic. 1. diff. 1.

### QVÆSTIO XXI.

An, detur mons Veneris, in quo dæmones cum Strigibus, certis diebus conueniant?

Negat Ioan. Nider, de decem præcep. præcep. 1.c. 10. n. 6. ex mente Guillelmi, lib. de uniuerso c. 21. dicens, minime dari montem Veneris realem, qui scilicet, sit possesus à Venere, vel ab ipsa fabricatus. Sed esse quid fictium, & ab otiosis, & luxuriosis adiumentum; quemadmodum falsum est, dari fœminam, nomine Dea Venus, quæ semper superstes existat. Sed quamvis id verissimum sit, specifice de hoc monte loquendo. At tamen,

Respondeo, dicendum, quod secundum Maleficos, seu Sagas, vere detur mons Veneris realis, id est, certus, & determinatus locus, in quo dæmones cū Strigibus, & Lamiis conuenire, certis diebus, solent, ad laudandum dæmonem, &c. igitur locus, non est unus tantum, sed plures, iuxta diuersitatem Provinciarum. Vnde in Italia est mons huiusmodi, prope Vrsinum lacum, vt tradit Aeneas Silvius epist. 46. Hispaniae, in agro Benuento, vt scribit Castro de Insta hereticor. punit. cap. 16. & etiam, vt vulgo dicitur, in agro, de Baraona. Geneuae, prope summam ædem, vt refert Lambertus Daneus, & aliis pluribus locis, vt tradunt Spina de Strigibus cap. 20. Crespet lib. 1. de odio satanae discurs. 15. Torreblanca libro 11. Iuris, Spirit. cap. 8. numer. 4. Lupus lib. 20. cit. diff. 8. in 2. parte. art. 1. diff. 4.

## QVÆSTIO XXII.

An, dentur aliqui determinati dies, in quibus Sagæ, & Striges cum dæmonibus in di-  
ctis locis conueniant?

**R**Espondeo, dati. Nam huiusmodi Sagæ, non semper, sed certis anni temporibus, aut certis diebus conueniunt. v.g. in Quadragesima, vel Hebdomada Sancta; vel Quatuor anni temporibus; nam quanto sunt hæc tempora sanctiora; tanto magis dæmones, & Sagæ, aut Striges, suis abominacionibus illa profanari, in maiorem Dei iniuriam, procurant: deinde, etiam extra hæc tempora, aliquibus statutis diebus id faciunt, vt in Italia noctibus, quæ præcedunt feriam quintam, & sextam, & diem dominicum; quia his diebus, vt sacratioribus, magis dæmones in homines sœuunt. Sic Binsfeld. in Confession. Malefic. prælud. 10. Petr. Thyreus de Apparit. Spirit. cap. 10. num. 190. Sprenger in Mallo 2. p. quest. 1. cap. 5. Maiolus tom. 2. colloq. 3. Comens. in Lucerna Inquisit. fol. 9. Remigius libro 1. de Monol. capite 14. Torreblanca capite 8. citato numero 2. Lupus diff. 4. cit.

## QVÆSTIO XXIII.

An, in conuentibus istis conueniant Sagæ, & Malefici; ad adorandum dæmonem, & alia detestabilia exercenda?

**R**Espondeo, Affirmatiuè. Nam conuentibus Sagis, & Magis, viris, & mulieribus in locis à dæmone destinatis, vbi ignis, vt plutimum accusus, teter & horridus visitur. Ibi dæmon, veluti præses Conuentus, in solio regio sedet, forma tam terrifica, hirci, vel canis; ad illumque accidunt adorandi gratia, non eodem modo; interdum namque, complicatis genibus supplices; interdum, obuerso tergo stantes; interdum cruribus in altum iactis, nec capite in anteriorem partem prono, sed resupinato, adeo, vt mentum ad cœlum feratur: tunc candelis picejs oblatis, vel umbilicio infantuli, ad signum homagij, eum in podice osculantur, & fertitum illi profitentur, & filios proprios offerunt, & quandoque eos in honorem Beelzebut occidunt, aut semen ipsum professum ei dicant, vt tradit Delrius lib. 2. disquisit. questio. 16. vers. sic ergo iuncta. ex Iaquierio, flagelli fascinar. fol. 58.

His peractis, (addit Delrius) incipiunt mensis assidere, & conuinari de cibis, quos dæmon suppeditat, vel iis, quos singuli attrulere. Interdum tripudiant ante conuinuum, interdum post illud. Solent etiam diuersæ mensæ esse, cibis interdum delicatissimis; interdum valde insipidis, & insulsis, onusæ, nam plerique sunt ex infantulis necatis, quos igni assos, vel in haenæ decoctos, sine sale manducant, vel ex Cadaveribus hominum exhumatis. Postea (vt alia omittamus) fædissime dæmonibus commiscentur, mulieres incubis, & viri succubis, quibus quandoque exercent prepostaram libidinem, & alia perpetrant nefaria, & horrenda in honorem dæmonis crimina, qæ puden potest referre. Legantur Delrius loc. cit. Remigius lib. 1. capit. 15. 16. 17. & 18. Anan. lib. 4. de natura dæmon. fol. 148. Chodronchus lib. 3. de morib. veneficar. cap. 8. Ponzius lib. de Lamiis, numer. 64. Valle de Moura de Incantat. opusc. 1. sectio. 3. cap. 1. & apud Torreblanca

lib. 11. Iuris Spirit. cap. 8. fol. 294. Iodocus verb. Maleficium, numer. 9. vers. Quinto. Qui bene ait, quod in conuentibus istis diabolisis, adeo fiant terribilia, quæ merito Maleficos deberent, ad discessio nem à diabolo, & ad veram conuercionem ad Deum, per legitimam pœnitentiam, mouere.

## QVÆSTIO XXIV.

An, dæmones possint homines transmutare in cattum, Loporem, mustelam, &c.  
aut alias bestias?

**A**ffirmarunt nonnulli, credentes, striges posse se virtute dæmonis, in cattos, simias, porcos immitare. Ita Nicaraguani. Quibus addo Quatremallanos opinantes, famosam illam maleficam Augustinam in bonis formam grassatam, quando Beatrix de la Cuua ingenti diluio, & terra motu interiit: vt refert Delrius, mox citandus.

Sed tanquam quid certissimum, Respondeo, Non posse. Quia licet possit hominem occidere, non tam potest brutam animam suo corpori vnire, & sic unitam, iterum illam expellere, & denuo animam hominis reunire. Vnde omnes illæ transmutationes, quæ à Magis referuntur, præstigiæ sunt, & illusiones sensuum. Quocirca si aliquando apparent Malefici, aut Sagæ in catti, leporis, aut aliorum animalium specie; tunc, vel dæmon Malefitorum, aut sagarum corpora obumbrat, vt videri non possint & parua illa animalia aliunde adducit, & obiicit vel fascinat oculos videntiū, vt pro hominibus præsentibus, videant animalia parua, aut magna. Sic & faciat ipsos Maleficos, vt putet se versos in cattos aut lepores, aliaq; parua animalia, cum introeunt in cubilia, aliaque loca, deinde iterum se redire in priorum hominum formam. Aut certe dæmon ex aere, exterius format membra alicuius animalis, ea que circumdat membris hominis, vt homo appareat bestia. Ex quo non est difficile iudicare, quomodo læsiones, quæ accident tali animali, inueniantur in Saga, vel Malefico. Nam, cum hic obumbretur specie animalis, læsio per aëream figuram obumbrantem transit in ipsum Maleficum. Quod autem dæmon aliud animal substituit, tunc ipse occulte vulnerat Maleficum eo membro, in quo læsum est animal. Sic omnino Iodocus in Thesauro Catholico verb. Maleficium. num. 10. vers. Tertio. ex Delrio lib. 2. quest. 17. Binsfeld. de Confess. Maleficial. concl. 3. & Remigio lib. 2. cap. 5. Sic etiam Suarez lib. 2. de Superst. cap. 19. Palaus disput. 1. cit. punct. 9. num. 3. ex D. Thoma 1. p. quest. 114. art. 4. Et constat ex cap. Non morum. 26. quest. 5. & ex cap. Episcopi, vbi contrarium omnino damnatur, vt diximus supra questio. 17.

## QVÆSTIO XXV.

An, possit dæmon Maleficos in locum clausum introducere?

**R**Espondeo, vt certum: posse illos introducere in locum, seu domum clausam; usque ad interiores partes eius; etiamsi clausæ sint. Non, quia possit per ianuam, aut fenestram clausam Sagam, aut Maleficum introducere; nam id virtute nullius agentis creati fieri potest; sed quia potest portas susbito, & sine strepitu aperi, & iterum claudere. Deinde

Deinde nequit dæmon corpus humanum intromittere in aliquem locum per foramen adeo paruum, ut capere non possit, nisi nimium densetur vel comprimatur, cum graui læsione corporis; quit tamen celerrimè dilatare foramen, lapides è muro auferendo, & statim artificiosè reponere: ita ut non apparet ruptura facta. Quia hæc omnia per solum motum localem fieri possunt. Sic Suarez lib. 2. de superst. cap. 16. numero 8. Delius; & Iodocus loc. citat. Lopus in edit. Inquisit. 3. p. libro 16. dist. 5. artic. 4. Sanchez libro 2. capite 40. num. 7.

## Q VÆSTI O XXVI.

*An dæmones possint Sagas aut Maleficas è carceribus liberare?*

**A** Firmandum videtur. Quia, ut ait Scriptura Iob. non est potestas super terram, quæ comparetur ei: ergo.

Sed ut quid certum, Respondeo. Quod licet absoluè loquendo de possibili id possint; non tamen de facto. Tum quia id eis vetuit Deus. Tum, quia ab Angelis bonis ipsi impediuntur. Tum denique, quia si dæmones Sagas, seu Maleficas, è carcere liberam possent, graue sequeretur absurdum, nempe, quod dæmonum potentia videretur esse maior diuina. Sic communis Legantur D. August. 3. de Trinit. & de Cœnit. Dei lib. 15. cap. 23. & lib. 18. capite 16. Palud. in 4. dist. 34. questio. 2. ad 2. Aloysius Barriola in Aphorism. v. Malefica.

## Q VÆSTI O XXVII.

*An, Malefice, seu Sagæ, possint nocere Iudicibus, & Iusticie Ministris?*

**N**egant aliqui, docentes, Sagas, seu Maleficas, minimè posse nocere Iudicibus & Ministris Iustitiae, ex speciali priuilegio his concessu. Probat hoc ab experientia, & euentu. Ita Grillanus quest. 7. numer. 39. Remigius lib. 1. dæmon. cap. 2. & Auëtor Formicarij, apud Delrium, infra.

Alij Item, id ipsum negant, sed limitant, assento, id priuilegium verè esse concessum iudicibus, & Ministris iustitiae; at non ante, sed postquam dictæ Sagæ, seu Malefice, sunt captæ. Ita Nidearius & Monstreletus, apud eundem Delrium.

Alij denique concedunt hoc priuilegium Iudicibus; sed non omnibus; sed solum illis, qui hoc digni nomine, Deum præ oculis habent, recte, riteque funguntur officio; nam quos avaritia excæcat, quos trahit ambitio, quos crudelitas, vel vindictæ amor agit, hos, inquiunt, crebro sic à dæmonе excipi, & impeti, vt aliquando necem non euadant, idque non paucis accidisse. Ita Ananias lib. 4. de natura dæmon. Cuius placitum esse verisimile, & congruum diuinæ prouidentiæ, & iustitiae, fatetur Delrius, lib. 3. Magic. disquisit. 1. p. qu. 5. vers. Prudentius. Et sentit Iodocus v. Maleficium. n. 16. fine.

Sed probabilius Respondeo, cum Delrio, dicendo, Nec adhuc quantum ad hos Indices, qui iusto ordine procedunt, extet tale Dei priuilegium. Quapropter indico, indicum pietatem, firmitatem Fidei, & iustitiae Zelum, hoc à Deo ut plurimum impetrare, quæ, quia desunt quibusdam, etiam eos hoc peculiari scuto Deus denudans, noxæ exponit. Sic ille. Legantur loc. cit. & lib. 5. sett. 7. litt. D.

## Q VÆSTI O XXVIII.

*An sint remedia aliqua tuendi infantes ab infestatione, seu læsione Sagarum, aut Maleficarum?*

**R** Espondeo, Esse quidem. *Primum* est, vespere, & manè commendare ipsos infantes B. Mariæ Virgini; ut ob amorem filij sui dignetur ipsos protectos habere; & munire eosdem Signo Crucis. Quia ex Confessionibus Sagarum constat, hoc signum magnam afferre utilitatem infantibus.

*Secundum* sit, quod noctibus cunctis, aqua lustrali, seu benedicta, eorum corpora, & cubicula aspergentur.

*Tertium*, quod aliquæ Sanctorum Reliquiæ, seu etiam Agnus Dei, seu Papalis, pendeant à collo pueri, vel eius fasciæ affigantur.

*Quartum*, quod dicti infantes mulierculis senio confectis non committantur. Quia contingere potest, ut ab ipsis etiam sine peccato naturaliter lendantur, vaporibus putridis ex ore, naribus, & oculis, aliisque partibus ipsarum exeuntibus. Quod maximè occidit, statim ac ipsis, ex senectute cessant earum menstruales purgationes. Propter quod maximum cauere debent, ne dicti tenelli infantes dormiant cum ipsis in lecto, quia cum calor tunc diffundat magis dictos putres vapores, facilius pueri lendantur. Sic Lopus 3. p. lib. 20. dist. 2. art. 2. diff. unica.

## Q VÆSTI O XXIX.

*An, dentur aliqua remedia naturalia contra Maleficia?*

**R** Espondeo, Nulla dari, quæ vi propria, ac directe valeant ad curanda Maleficia, à dæmonē illata. Quia nulla naturalia substantiarum spirituallium robur possunt æquare. Et certè dæmon facillimo negotio potest omnem vim medicamenti naturalis impedire, si velit adhibendo contraria resistentia, vel corrumpendo ipsum medicamen, vel obstruendo vias, aliterve eludendo eorum efficaciam. Sic omnes. Legantur Delrius lib. 6. Magic. disquisit. cap. 2. quest. 3. sett. 2. & 3. Suarez lib. 2. de superst. c. 17. num. 7. Iodocus verb. Maleficium num. 21. per totum. Trullench. lib. 1. in Decalog. cap. 10. dub. 13. n. 3.

## Q VÆSTI O XXX.

*An, & quæ, sint remedia spiritualia contra Maleficia?*

**R** Espondeo, dicendum: Quod verè sint: & multa *Primum* est vera, ac viua fides Charitate Dei, & proximi exornata. *Secundum*, suscepitio Baptismi. Quia nondum Baptizati manent in diaboli potestate, quæ per Baptismum excluditur. Et ideo sæpe contingit, quod si ante Baptismum Maleficiati sunt, per eum Maleficium solvatur. Iuuat eo etiam Sacramentum Confirmationis. *Tertium* est, Pura peccatorum Confessio. *Quartum*, Suscepitio digna Sacramenti Eucharistie. *Quintum*, Celebratio, seu auditio Sancti Missæ Sacrificij. *Sextum*, Exorcismi Ecclesiastici, pro eiendi dæmonibus ordinati. *Septimum*, Reliquiæ

Reliquiae Sanctorum ; eorumque ad sepulchra accessio. *Ottuum*, Aquæ benedictæ aspersio, infusio, & bibitio. *Nonum*, Vsus etiam rerum aliarum ab Ecclesia benedictarum ; vt cerei Sacri, Salis, Panis benedicti : & potissimum cerei, qui dicitur, *Agnus Dei. Decimum*, Signaculum Sanctæ Crucis. *Vndecimum*, Pia scripta, seu amuleta sacra, ad collum appensa ; vt Euangelium S. Ioannis, Symbolum Apostolorum, & similia. *Duodecimum* est, Inuocatio nominis Iesu, Beatæ Virginis Mariæ, Angeli Custodis, & aliorum Sanctorum. *Decimum tertium*, Oratio, Ieiunium, & Eleemosyna. Et tandem, dissolutio eorum, quæ pertinent ad pactum cum dæmone. Legantur Delrius lib. 5. disquis. Magic. cap. 2. sect. 3. quæst. 3. Iodocus in *Thesauro Catholico* verb. *Maleficium. numer. 22.* Bonacini. in prim. præcep. *Decalogi disq. 3. quæst. 5. pun. ultimo numero 10.* Suarez lib. 2. de *Superstitione. capit. 17.* Sanchez lib. 2. in *Decalog. cap. 41. numero 25.* Clavis Regia libro 4. cap. 6. numero 27. Filiuc. tract. 24. cap. 8. quæstio. 3. Lessius libro 2. loc. citat. Trullench. libro 2. in *Decalog. cap. 10. dub. 13.* Fagundez libro 2. in *Decalog. cap. 43.*

## Q V A E S T I O    XXXI.

*An, peccatum Maleficij, sit inter alia criminis grauissimum?*

**R**Espondeo, tanquam certum : Esse grauissimum, atrocissimum, & fœdissimum. Quia cum hoc Maleficio peccato, sèpissime concurrunt alia nequissima. Concurrit namque sàpē *Hæresis*, cum sàpē credant Magi, seu Maleficæ, quod dæmones damnati non sint. Quod diuinus honor iis deferendus fit, &c. Secundo concurrit *Apostasia*, quia sàpē Christum abnegant : renunciant Baptismo, & Confirmationi. Tertio *Idolatria* ; quia diabolum adorant loco Dei, & illi se maficipant. Quarto, *Blasphemia* in Deum, & Sanctos. Quinto, *Sacrilegium*, quia admiscent suis incantationibus res sacras. Sexto, *Concubitus* contra naturam, cum creatura spirituali. Septimo, homicidia, & parricidia, proditiones, mortes animalium etiam, & perditiones frugum, & rerum aliarum. *Ottavo* denique, odium in Deum, Quibus omnibus nihil horribilis, detestabilius, crudelius, abominabilius potest dici. Sic Iodocus loco citat. numero 24. Lessius lib. 2. cap. 44. dub. 4. n. 27. Trullench. lib. 1. in *Decal. cap. 10. dub. 11. n. 18.* Tamburin. lib. 2. in *Decal. cap. 6. §. 2. num. 2.*

## Q V A E S T I O    XXXII.

*An, quando Maga ultro ad Sacram Confessionem, cum aliquo maleficij peccato, accedit; debeat Confessarius aliqua interrogare, & qua?*

**R**Espondeo, Debere quidem, & Primo, interroganda est ; an integras, & non mutilatas (vt solent dæmoni promittere) fecerint confessiones, vt sic omnes repeatat, & omnia peccata prodat.

Secundo, roget diligenter, à quo tempore, quo motiuo, in tale execrandum crimen lapla fuerit.

Tertio inquirat, quibus conditionibus adhæsit diabolo. An aliquid animo crediderit contra fidem : quia tunc est hæresis. An ex animo renuntiavit.

*R.P. Leand. in Decalogum.*

ciauerit Christo Domino, aut eius Fidei : nam tunc est apostasia. An adorauerit diabolum ; an rebus sacris abusa ? An hominibus nocumentum intulerit, in personis, aut in bonis fortunæ. An offenderit Clericos, aut Religiosos ; & cætera, ut supra quæst. antecedenti.

Quarto interroget, an adhuc retineat libros, aut alia magica instrumenta ; quia retentis illis, nequit absoluiri.

Quinto, An alios talia docuerit, ac seduxerit, & hi in tali crimine persistant ; quia non debet Maga absoluiri, nisi in quantum in se est, conuerte illos conetur : & si conuerti noluerint, eos ad superiores deferat, & accusat.

Sexto Confessarius curet, vt occasions relabendi evitet, & auferat, vt si, v.g. habitat, vel versatur inter Maleficos, quando fieri possit, loci mutationem iniungat. Sic Delrius libro 6. capite 1. sect. 3. vers. *Quoad interrogatoria Layman ex illo lib. 3. sect. 5. tractat. 6. §. 1. de Sagis numero 18. Bonac. loco citat. numero 11. Lupus in edit. Inquisit. par. 3. libro 20. dist. 11. artic. 2. diff. 1.*

## Q V A E S T I O    XXXIII.

*An Sagæ captæ debeant, ante iudiciale examen, ad Sacramentalem Confessionem admitti?*

**R**Espondeo, Non esse quidem necessarium : posset tamen, profecto. Primum probatur ; quia Sagæ spe liberationis consequendæ, innocentiam suam tunc prædicare solent, & vix adigi possunt, vt crimen confiteantur, dum timent sibi a delatione. Ideoque in pluribus tribunalibus consuetudo viget, non admittendi Confessarios ad Reos priusquam omni examine expedito, noxijs iudicati sint. Secundum etiam constat, quia, nisi consuetudo prohibeat, nil obstat, quominus Confessarius prudens, etiam ante iudiciale examen, Sagas accedat, & ad contritionem de peccatis suis disponat, atque ad patientiam & obedientiam Magistratui debitam serio cohortetur. Sic Layman lib. 3. sect. 5. tract. 6. de *Indiciis cap. 5. §. 5. unico de Sagis, numero 19.*

## Q V A E S T I O    XXXIV.

*An, dum in tormentis Saga versatur, liceat vel expeditat, questioni Confessarium assistere?*

**R**Espondeo, Non expedire quæstiōni, aut torturæ Sagæ Confessarium assistere. Quia ( ait Delrius ) abusus est certè, propter irregularitatis multa, quæ se hic ingerant pericula. Que ibi necessitas Confessarij ? Imo quæ utilitas ? hortetur ad silentium & causa est cruciatus augendi. Hortetur ad Confessionem veritatis ? mortis sententiam accelerat. Absit potius, fugiat à tam acerbo, & ferali spectaculo Sacerdos, sequæ contaminari putet, si proprior adjiccat, & oculis hauriat hanc carnificinam. Fateor illud utile futurum, si in vicino quopiam cubiculo sit, vt si mortis periculum resu incideret, iuuare possit celeriter, & deficiente venire supprias. Sic ille sect. 3. cit. vers. *Quoad animi preparationem.*

## Q V A E S T I O    XXXV.

*An, casu, quo fœmina, coram Confessario constanter neget, se Sagam esse; sed vi tortura se Maleficij crimen coram iudice fassam fuisse: posse tunc à Confessario Sacramentaliter absolvit?*

**R**Espondeo, tanquam certum: Posse, imò, & debere, si talis persona alia peccata sua rectè confiteatur. Quia fides est ei adhibenda in foro Sacramenti pœnitentiae. Sic Layman loco citat. num. 24. Qui bene addit; debere tunc Confessarium hortari talem mulierem, vt considerato dedecore, quod sibi, ac familiæ suæ intulit Confessionem suam coram Iudice constanter retractet; dummodo aliqua spes sit, quod Iudex, ante sententiam latam, reum retractare volentem auditurus, aut fidem aliquam habituus sit; alias non tenebitur; quia frustanea, & inanis erit reuocatio suæ Confessionis, quæ nihil profutura putatur, vt notat Simancas de Cathol. Institut. tit. 13. numero 28. Sic Layman loco citat. numero 24. Lupus libro 20. citato, dist. 11. articul. 2. difficul. 2.

## Q V A E S T I O    XXXVI.

*An, si dicta mulier, quæ falsa Confessione Iuridica, crimen sibi imposuit, nolit coram Iudice illam retractare, ob metum tormentorum; posse tunc Confessarius non obligare illam ad talem retractationem faciendam?*

**A**ffirmant multi, posse tunc Confessarium non obligare illam mulierem ad talem retractationem faciendam; eo quod putent, talem mulierem non teneri ad se retractandam cum talium tormentorum periculo, etiamsi sciat, ob id mortis supplicio afficiendam esse. Ita Angelus verb. detractio. §. 7. Sotus lib. 5. de Inst. questio. 10. artic. 2. Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 7. assert. 5. Toletus lib. 5. cap. 66. Sà, verb. Infamare num. 1.

Alij contra, negant, posse tunc Confessarium non obligare talem mulierem, vt retractationem faciat, casu, quo, si eam omittat, mortis pœna sine dubio luet. Ratio eorum est. Quia qui causam suæ mortis posuit, tenetur illam tollere si possit; alioquin sui ipsius occisor erit: sed mulier, quæ sibi crimen falso affinxit, ob quod morte punienda est, posuit causam sui occisionis: ergo tenetur eam tollere retractando crimen falso sibi impostum. Ita Nauar. in Sum. capit. 18. numero 29. iuncto numero 28. Couarru. 1. Resol. cap. 2. numero 8. Molina tract. 4. disf. 37. concl. 15. Quos omnes sequitur Layman lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 5. de Iudicis §. vñco de Sagis num. 24. Arsenius S.I. quist par. 4. quem citat & sequitur Lupus par. 3. lib. 20. dist. 11. art. 2. diff. 2. vers. Septimo.

Sed ego Respondeo, dicendum, quod licet hæc ultima sententia sit probabilior: at in facti contingentia possit primam in praxi Confessarius sequi, in gratiam Rei: quia uterque se potest conformare sententiæ negantium in hoc casu obligationem retractandi sub mortali incumbere, vt bene notat Layman loc. cit.

## Q V A E S T I O    XXXVII.

*An aliquibus modis posset cognosci Maleficus?*

**R**Espondeo, Quod sic, Nam Primo potest cognosci, ex ipsius Confessione. Secundo ex attestacione aliorum, qui delicti participes fuerunt. Tertio ex scriptura reperta, apud aliquem; qua se dæmoni tradidit. Quarto si impressum gerat signum, aut stigma, quo Malefici solent insigniri. Quinto si apud aliquem inueniantur hostiæ, vel imagines ceræ acubus affixa. Sexto, ex minis, quibus quis alicui malum minatus est, & is postea fascinazione infectus inuenitur. Septimo ex assertione, qua quis testatur, se vidisse aliquem vrgente, aut venena praebentem animalibus, aut aliis, qui postea interierunt. Sic Bonac. loc. cit. numero 12. Trullench. lib. 1. cap. 10. dub. 13. num. 14.

## Q V A E S T I O    XXXVIII.

*An, sit opus rumpendi scriptum, aut chirographum datum dæmoni, quo Magus se totum dæmoni dicat, antequam à Confessario absoluatur?*

**R**Espondeo, vt certum: non esse opus: sed solum, quod Magus dissoluat pactum cum dæmonie initum, & à prioribus Maleficiis omnino recedat, quod totum per pœnitentiam criminis faciet. Vnde minime est opus, vt dæmon scriptum, chirographum ei datum, cogatur reddere. Si tamen Magus apud se chirographum contineat, illiusve transumptum, cogendus est rumpere illud, aut comburere, quia eis retinere, non gratia seruande fidelitatis dæmoni; sed ad sui confessionem, & memoriam enormitatis illius peccati, ex se nil mali contineat: at potest esse causa scandali, si forte amittatur, aut inter alias eius papyros inueniatur, siue in vita, siue post mortem; potest enim subito mori, aut demens fieri, aut illius immemor non rumpere aut obitum. Sic Sanchez libro 2. Sum. capite 40. numero 53. Suario libro 2. de superst. capite 17. numero 4.

## §. II.

*De Pœnis à iure statutis, contra Veneficos, Sagas, Striges, Ariolos, Sortilegos, Diuinos, Magos, & Maleficos.*

## Q V A E S T I O    XXXIX.

*An, Malefici, Veneficie, & alij nominati nuper, morte naturali, iure diuino multentur?*

**R**Espondeo, vt certum quod sic. Nam ita habetur Exodi 2. Maleficos non patiaris vivere. Vbi nomine Maleficorum, omnes prædicti comprehenduntur, vt aiunt Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 19. numer. 1. Delrios lib. 1. Magio. disquis. capit. 2. & libro 5. sectio. 16. Torreblanca, libro 3. Spirit. Iur. cap. 11. n. 4. Et Lewi. 22. sic habetur: Vir, siue mulier, in quibus Phytonicus, siue dinominationis fuerit

*fuerit spiritus, morte moriatur. Quæ lex diuina, non est per Euangelium mutata, vt bene aduertit Torreblanca, loc. citat. numero 2. Sic omnes Doctores, præcipue citati, & Fagundez libro 1. in Decalogum cap. 45. numero 1. & 2.*

## QVÆSTIO XL.

*An, etiam iure Canonico, Malefici, & alijs mortis pæna puniantur?*

**R**espondeo etiam ut certum, quod non solùm iure Canonico, verum & ciuili, mortis pœna puniuntur. Non loquendo de iure Canonico, extat Canon. Apostol. vt refert D. Clemens lib. 7. Constitut. Apostol. capite 4. vbi dicitur: *Non dabis operam Magica arti, non lustrabis: lustratores enim non finetis eos viuere.*

Loquendo vero do Iure Ciuiili constat, ex titulo de *Maleficis, & Mathemat. l. Nemo 5. supplicio capitis ferietur gladio. l. Multi 6. & l. Etsi excepta & l. Quicumque 9. & alibi.* constat item ex Iure Regio l. 3. titul. 23. par. 7. Deuen morir perende. l. 6. titul. 3. libro ottavo. Recopilat. *Que los matten por ello.* Quod totum confirmat praxis quotidiana tam Ecclesiastica, quam sacerularis, vt testantur Lucerna Inquisitorum, Viatorum Inquisitorum, Repertorium Inquisitorum, Simancas, Castro, Suarez, Azor, & alij plures, quos affert Torreblanca cap. 11. cit. à numero 10.

## QVÆSTIO XLI.

*An Malefici sint morte pœnali, etiam si nullum hominem necauerint, nec alia patraverint crimina, que pæna mortis multantur?*

**R**espondeo, ut certum: Quod sic. Quia eo ipso solùm, quod cum dœmone pactum contraxerunt, & ipsi federati, conuentibus Maleficatorum, & dœmonum interfuerint, & quæ ibi præstare solent, exercuerint interfici, & necari debent. Et merito quidem; quia, vt supra est habatum in hoc crimine solo concurrunt alia multa abominanda, & exercenda, quo quis suppicio extremo dignissima, vt Apostasia à Deo optimo max. Idololatria, Familiaritas cum dœmone, oblatio filiorum dœmonibus. Concubitus cum illis, &c. sic omnes. Legantur citati, Torreblanca numer. 2. Iodocus verb. *Maleficium* numero 37. Delius lib. 5. seccio. 16. & alij, contra nonnullos negantes, predictos non esse morte naturali multandos, quos refert Torreblanca numero 44.

## QVÆSTIO XLII.

*An, Malefici, Sage, & alijs, igni mandari debeant?*

**N**egant aliqui Authores ducti ex l. *Multi, supra citat.* vbi dicit, quod huiusmodi homines feralis pestis absūmat: ergo bestiis potius quam igni sunt tradendi. Ita sentiunt Gothfred. & Cuiacius, apud Torreblancam, *infra*

Sed omnino Respondeo, dicendum, quod mandari debent igni potius, quam bestiis, vt late R.P. Leand. in Decalogum.

ex practica cum multis tenet Torreblanca libro 13. *Inr. Spirit. capite 11. à numero 14.* Et merito quidem: Quia si hæretici contumaces, viui comburuntur; pœnitentes vero, compressi fauibus, igni mandantur: à fortiori debent traditi Malefici, quorum crimen grauius est hæresi, cum hoc sape peccatum, cum aliis grauissimis contineat, vt ex dictis constat.

## QVÆSTIO XLIII.

*An, Magi, Malefici, & huiusmodi, ipso iure afficiantur excommunicatione?*

**R**espondeo, ut certum: Affici, si crimina, quæ committunt hæresim externam contineant; nam tunc manent ipso iure excommunicati excommunicatione lata in Bulla Cœnæ Domini, à qua non potest absoluere, nisi ille, qui potest hæresim, de quo suo loco par. quarta, diximus. Si vero non contineant hæresim, tunc non manent ipso facto excommunicati, vt cum probabiliori sententia diximus *supra*.

## QVÆSTIO XLIV.

*An, si crimina Magorum hæresim formalem externam non contineant; possint absolvi à quocumque Ordinario Confessore?*

**R**espondeo, Ex dictis: Posse, nisi alias aliqua illorum criminis sint in alia dicecisi reseruata. Ratio est. Quia quamvis Magorum criminis, vt sunt pactum cum dœmone; commerium, concubitus, & huiusmodi, sint grauissima sceleris; tamen non subiacent excommunicationi latæ sententiae; & ideo non sunt reseruata Summo Pontifici: ergo libere possunt ab Ordinariis Confessoribus remitti, præcipue Bullâ Cruciatâ. Sic communis Tamburin. libro secundo in *Decal. cap. 6. §. 2. numero 15.* Legatur Diana 1. p. tract. quinto. *Resolut. 7.*

## QVÆSTIO XLV.

*An, Malefici, aut Sagis in carcere morituris, possit ministrari S. Eucharistia?*

**R**espondeo, Posse: inquit & debere, si illi Sacram Eucharistiam petant, & Sacramentaliter Confessæ sint. Quia, cui Sacramentum Pœnitentiae non negatur, neque viaticum negandum est. Sic cum communi tenet Layman §. *ultimo citat. questio. 9. numero 32.* Qui, à fortiori id concedit Sagis, quæ ad supplicium mortis duendæ sunt; nam iis minus potest negari, si pœnitentes & confessæ sint. Addit etiam, quod in casu, quo ad Sagas, & alias huiusmodi personas infames deferenda sit Sacra Eucharistia; id debeat fieri cum minore solemnitate: vnde pulsus campanæ per plateas, & magnus comitatus omitti potest. Sic ille, numero 33.

## QVÆSTIO XLVI.

An, pro Maleficiis, Sagis, &c. ultimo supplio affectis; possint Sacrificia Missa, & alia suffragia offerri?

**R**Espondeo, ut certum: Posse priuatim, ut constat ex cap. Quæstum 13. quæst. 2. de hereticis. Iugant namque illis prædicta opera, cum (ut supponimus) penitentes decesserint. Publicè vero, cum solemnitate; & apparatu exteriori, non decet, ut docent Layman loco citato. & Lupus lib. 20. dist. 5. artic. 3.

## QVÆSTIO XLVII.

An, huiusmodi Magie, aut Maleficij criminis cognitio, ad Inquisidores Fidei pertineat?

**R**Espondeo, ut quid certum: quod verè ad illos pertineat, casu, quo crimen à Magis, seu Maleficiis, sive Sagis, &c. patratum, adnexam habeat heresim; aut expressam suspicionem illius inuoluat. Constat id ex cap. Causam. §. sane de heret. in 6. & docent communiter Doctores, Suarez lib. 2. de Superstit. capite 18. num. 12. Simancas de Cathol. institut. tit. 37. numero 16. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 45. num. 12. Farinac. de heresi quæst. 181. num. 101. Palaus disp. 1. de superst. pun. 13. n. 6.

At verè si crimen suspicione heresis careat, quia mera est superstitione; tunc non pertinet cognitio huius criminis ad Inquisidores, ut in eo cap. Causam, cauetur. Et ideo si delinquens huius criminis sit Clericus, à suo Iudice Ecclesiastico puniri debet; & laicus, à iudice seculari, vel Ecclesiastico ad præventionem; quia est delictum mixti fori. Sic Suarez loco citat. capite 19. num. 11. Sanchez libro 2. in Decalog. capite 38. num. 92. Palaus loc. citat. cum aliis.


## QVÆSTIO XLVIII.

An, etiam pertineat ad Inquisidores cognitio huius criminis; si solum est dubium, an sapiat manifeste heresim?

**N**egant aliqui Doctores ex cap. Accusatus de heret. in 6. ibi: *Nisi heresim sapient manifeste, Ita Glossa ibi, verb. Manifeste: & adducit textum similem, in cap. 1. de censib. eod. lib. & capite 1. de Pœnit. eod. lib. & Ioan. de R. jas., singul. fidei 110. & alij apud Palaum.*

Sed ego Respondeo, dicendum; quod quamvis speculatim loquendo, hæc sententia sit vera; in praxi tamen vix occurrit casus, in quo Inquisidores procedere nequeant; quia semper ferè, aliquid hereticum dicti delinquentes credunt, aut heresim sapiens committunt. Sic Delius libro 5. Magic. sectio 2. vers. Septimo, ibi: *In seculos superstitiosos Inquisidores Fidei, sive facta sunt atrocias, sive sint leuia, non inquirunt; nisi quando sapient aperte heresim, ut Baptizare scienter iam Baptizatum, vel Baptizare Imaginem: quod superstitiosos verò magos; quia (ut ait Cyprianus lib. de duplice martyro) qui magici artibus oruntur, tacite Christum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus. Vixque*

*fiant, ut non, vel hereticum quid credant, vel hereticum sapient faciant; ideo vix unquam incidet illius talis, quin contra eos Inquisidores possint procedere. Hæc Delius. & Farinac. de heresi quæst. 181. numer. 91. & ex illis, Palaus citat. numero 6. ubi agit de modo procedendi in hoc delicto, de quo latius Delius libro 5. citat. per totam. Gregorius de Valentia 2. 2. disputat. 6. quæstio 13. punct. 4.*



## DISPUTATIO V.

De Adiuratione, & Superstitionibus in ipsa reperitis.

## QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Adiuratio?

**R**espondeo, dicendum: Quod adiuratio, est contestatio rei Sacrae, per quam aliqua persona, imperio, aut obsecratione, inducit ad aliquid faciendum, vel omittendum. Sic D. Thom. 2. 2. quæst. 90. art. 1. & cum eo omnes Doctores. Legantur Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. à cap. 1. Caiet. Raph. de la Torre & alij 2. 2. loc. cit. Valentia disp. 6. quæst. 8. Sanchez lib. 2. Sum. cap. 42. Lessius libro 2. de Iustit. capit. 42. dubit. 13. Filliuc. tract. 24. capite 8. quæstio 7. numero 200. Bonacini. in 2. præcep. Decalog. disp. 4. quæst. 1. punct. ultimo. Trullench. libro 1. Decalog. capite 10. dubit. 14. Palaus tom. 3. tract. 14. disp. 4. punct. 4.

## QVÆSTIO II.

Quotuplex sit Adiuratio?

**R**espondeo, Quod est duplex, solemnis, videlicet, & priuata. Illa est, quæ fit ex præscripta forma ab Ecclesia instituta, & à Ministris ad id deputatis, & consecratis. Hæc videtur, quæ omni hac solemnitate caret.

Deinde Adiuratio vtraque, est duplex, alia deprecativa, quæ fit deprecando, ut fecit Apostol. ad Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeat corpora vestra sancta, &c.* alia verè, imperativa, quæ fit imperando; ut idem Apostolus fecit, adiurando Timoth. *Per aduentum Christi, & Regnum eius, ut prædicaret verbum Euangelij opportune, & importune.* Et ad huius generis adiurationem, debent reduci exorcismi Ecclesiarum, quibus dæmones adiurantur. Sic omnes DD. Præsertim citati.

Rursus Adjuratio adhuc est duplex, propria, videlicet, & impropria. Propria fit, cum contestamus Deum, vel Sanctos, ut ad ipsum relatos; quia hæc adjuratio habet ex se vim summam, & authoritatem ad rem optatam impetrandum. Impropria vero, cum contestamus Sanctos, secundum sua merita, & dignitatem propriam, absque speciali ad Deum habitudine: quia etsi adjuratio sit, non tamen est propria, esto ad illam reducatur: quia non habet illam summam vim, & efficaciam ad impetrandum; esto magnam habeat. Sic Palaus punct. 1. cit. sub num. 2.

Q V A E S T I O III.

An ut adiuratio licita sit, requirat eosdem tres comites, quos iuramentum requirit, nempe veritatem, iustitiam & iudicium?

**R**Espondeo, Quod sic. Quia adiuratio habet quandam speciem iuramenti: ergo exigit ad sui honestatem eosdem tres comites, quos iuramentum nempe, veritatem, iustitiam, & iudicium. *Veritatem*, ut per Deum verum, aut per eius Sanctos, adiuratur, animoque rei alicuius impetranda. *Iustitiam*, ut res petita aut imperata, licita sit, & honesta, & *Iudicium*, ut fiat in necessitate & cum debita consideratione, ac reuerentia. Sic omnes. Suarez tom. 2. lib. 4. de adiurat. cap. 4. n. 7. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 42. n. 5. Palaus de adiurat. disp. 4. pun. 1. n. 5. Trullench. lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 14. n. 1.

Q V A E S T I O IV.

An, obsecrare aliquem, aut imperare, per falsum Deum, ut per Iouem, aut Iupiter, sit peccatum mortale?

**R**Espondeo, Tanquam certum: Esse mortale, & grauissimum: quia tunc honor veri Dei, tribuitur falso deo: Et ideo qui sic obsecraret, vel imperaret, non adiurationem, sed idolatriam committeret. Sic Suarez capite 4. citat. numero 6. Sanchez numero 5. Palaus numero 5. Bonacina disputat. 4. circa 2. praecep. Decal. questio. 1. punct. ultimo numero 12. alias 11.

Q V A E S T I O V.

An, etiam sit mortale; ficta paupertate, petere, ob Deum, Eleemosynas?

**A**ffirmant aliqui, eo quod in tali casu, constatur quis diuinam autoritatem ad iniquam Eleemosynam recipiendam: quo actu videtur eius autoritatem grauiter contemnere, illam assumens, ut medium ad suam iniquitatem patrandam. Ita Suarez dicto libro quarto capite 4. numer. 7. quem citat, & sequitur Palaus disputat. 4. citata punct. 2. num. 5.

Sed probabilius, Respondeo solum esse veniale, contra virtutem religionis. Quia ille actus Eleemosynæ, ut à diuite operante procedit, est verè optimus: ergo non est grauis irreuerentia, contra Deum, inducere ad illum, ob Dei amorem; quamvis aliunde ex parte petentis sit iniquitas, & grauis iniustitia cum ficta Eleemosynam extorqueat. Sic Sanchez numero 5. citat. dicens id sibi fere certum esse.

Q V A E S T I O VI.

An, qui adiuraret Deum, ad rem aliquam illicitam obtinendam; peccaret mortaliter?

**A**ffirmandum videtur. Quia interuenit ibi grauis Dei irreuerentia, cum Deus interponatur, ut intercessor illius peccati.

R.P. Leand. in Decalogum.

Sed distinctione vtendo Respondeo, dicendum, mortaliter peccare, quando materia imperata, vel petita, est res mortal; venialiter vero, quando res est venialis. Peccabit igitur mortaliter, vel venialiter, contra adiurationis religionem, considerata grauitate, vel leuitate materiae rei illicitæ petitæ, vel imperatae, ultra peccatum inductionis proximi ad malum. Sic Suarez numero 8. Sanchez num. 4. Bonac. num. 12. Palaus num. 6.

Q V A E S T I O VII.

An, Adiuratio sit actus virtutis religionis?

**R**Espondeo, dicendum, quod sit actus virtutis religionis, quando adiuratio fit per Deum, siue expressè, siue tacite. Quia in hoc adiurans tribuit Deo honorem, quod eius autoritatem, tanquam plurimum apud omnes valentem interponat ad aliquid obtainendum. Quando autem adiuratio fit per Sanctos, absque tacito ad Deum respectu, tunc non est actus religionis; sed eius cultus, qui sancto illi debetur. Quare si adiuratio fiat per B. Virginem, pertinebit ad virtutem Hyperduliae; & si per alios sanctos, ad virtutem Duliae. Si autem obsecratio, aut imperium fiat, ob vitam alicuius personæ, veluti, Patris, amici, alteriusve rei humanae, tunc talis actus non dicitur, nec est propriè adiuratio; & ideo non pertinet nisi ad humanam amicitiam; & ideo nec auget, nec minuit culpam, si aliqua committatur in hac obsecratione. Sic Suarez, libro 4. de adiurat. capite 1. à numero 4. usque ad 7. Sotus libro 8. de iust. quest. 3. artic. 1. Sanchez libro 2. Sum. capite 42. numero 3. Palaus punct. 1. numero 9.

Q V A E S T I O VIII.

An, Adiuratio differat ab oratione?

**R**Espondeo, differre. Primo, quia adiuratio formaliter, non est petitio, sed adstrahit à petitione, imperio, & obiurgatione. Secundo, quia per orationem aliquid à Deo petitur: at per adiurationem deprecatiuam, non petitur aliquid à Deo; sed propter Deum: quod si etiam à Deo aliquando petatur; tunc coniungitur adiuratio cum oratione. Sic omnes communiter. Suarez loc. citat. capite 1. à numero 8. Sanchez cap. 42. num. 1. Filliac. tract. 24. cap. 8. quest. 7. numero 202. Trullench. lib. 1. in Decalog. cap. 10. dub. 14. numero 1. in fine. Palaus tom. 3. tract. 14. disp. 4. punct. 1. num. 10.

Q V A E S T I O IX.

An, Adiuratio, etiam à iuramento differat?

**R**Espondeo, Etiam differre. Quia in iuramento adducitur Deus in testem veritatis: at in adiuratione adducitur, ut obiectum amoris, vel timoris eius, quem adiuramus, ut inde eius amore, vel timore incitetur, & ducatur ad concedendum quod petitur. Sic Sanchez loc. cit. numero 1. Suarez numer. 8. Trullench. num. 1. Palaus num. 10. ubi bene aduertit, aliquando adiurationem cum iuramento misceri; ut patet ex Genesi 24. Vbi Abraham seruum suum adiurauit, & simul ad iurandum compulit.

## Q V A E S T I O X.

*An saltem in omni iuramento promissorio, inueniatur adiuratio?*

**A**ffirmavit Valentia 2.2. disputat. 6. questio. 8. punct. 2. questio. 1. fine.

Sed tanquam certum, Respondeo. Non inueniri. Quia potest peti simpliciter ab aliquo iuramentum promissorium, non interposito, à petenti, diuino; vt in contractibus contingit: ergo iuramentum promissorium inueniri potest sine adiuratione. Sic Suarez d. cap. 1. num. 10. Sanchez numer. 1. Palaus numero 11.

## Q V A E S T I O XI.

*An, Adiurationis sit aliquod præceptum, diuinum, naturale, aut Ecclesiasticum?*

**R**espondeo, Primo, tanquam certum, nullum esse Adiurationis præceptum diuinum, aut naturale. Quia ex una parte, cultus, qui per adiurationem Deo exhibetur, alio modo suppleri potest: Deinde, ex alia parte, ad obtainenda diuina beneficia, minime est necessaria; cum non adiuratio, sed simplici orationi, aut petitioni promissa sint.

Respondeo, Secundo. Quamvis per se non sit aliquod præceptum Ecclesiasticum adiurationis, cum nullibi extet; est tamen per accidens, ortum ex obligatione Officii Ecclesiastici, & administrationis conuenientis Sacramentorum. Quia Ministri Ecclesiæ tenentur ex præcepto Horas Canonicas recitare, & Sacraenta fidelibus ministriare: sed in horum administratione, & in illarum recitatione plures adiurations, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per Sanctos, continentur: ergo iam ex institutione Ecclesiæ, ortum est præceptum adiurationis. Non tamen est peculiare, sed coincidit cum præcepto Horarum Canonistarum, & ritè Sacraenta, & Missam administrandi. Verum est, quod aliquando, etiam possit cedere hoc præceptum, sub Officij obligatione; nam supposita hominis obsecsti necessitate, tenentur Ministri Ecclesiæ ex officio subuenire necessitatibus suorum fidelium, per remedia conuenientia, quorum unum est, iuxta Ecclesiæ ritum, adiuratio per exorcismos. Sic Suarez libro 4. cap. 4. à numero secundo, Sanchez libro secundo in Decal. capite 42. numero 4. Palaus tom. 3. tractat. 14. disp. 4. punct. 2. numero 1. Trullench. lib. 1. in Decal. cap. 10. dubitat. 14. numero 1.

## Q V A E S T I O XII.

*An, cuilibet licitum sit deprecative adiurare aliquem per Deum, Sanctos, aut aliquam personam?*

**R**espondeo, Tanquam certum. Esse licitum, Constat, tum ex viu Ecclesiæ deprecantis Deum in orationibus; Per Dominum nostrum Iesum Christum. Tum, quia honestum est, ad quoscumque inducendos ad aliquid bonum, vt in invocatione diuini Nominis. Sic D. Thom. 2.2. quest. 90. art. 1.

ab omnibus receptus. Legatur Raph. de la Torre ibi, Suarez, & Sanchez, mox citandi.

## Q V A E S T I O XIII.

*An, adiuratus deprecative per Deum, teneatur sub præcepto, obedire adiurationi, aut adiuranti?*

**R**espondeo, Tanquam certum: Non teneri. Patet: quia deprecato nullam obligationem inducit deprecatio; vt constat: ergo neque inducit adhuc vestita diuini Nominis contestatione, patet, quia Nomen Dei ibi adducitur, ad augendam tantum depreciationm, illamque efficaciorem reddendam, non ad immutandam. Sic omnes: Suarez 10. 2. de Relig. lib. 4. de Adiurat. cap. 4. num. 1. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 42. numero 12. quos citat, & sequitur Palaus tom. 3. tractat. 14. disputat. 4. de Adiurat. punct. 2. numero 2.

## Q V A E S T I O XIV.

*An, item licitum sit cuilibet superiori, adiurare imperatiue, aut coactiue suos subditos?*

**R**espondeo, tanquam certum: Esse licitum, causa iusta sic adiurandi existente. Quia superiores, erga suos subditos, verè gaudent potestate eis imperandi, eosque cogendi: ergo possunt prædicta potestate vti, vt diuini nominis reuerentia, per adiurbationem interposita, impellantur magis subditi ad præceptum exequendum. Sic D. Thom. loc. citat. ab omnibus receptus, & ibi Raphaël de la Torre Suarez numero 13. Sanchez eod. numero 13. Palaus num. 3.

## Q V A E S T I O XV.

*An, subditus peccet mortaliter contraveniens sui superioris præcepto, sibi per adiurbationem imposito?*

**A**ffirmat absolute Tabiena v. adiuratio. numer. 6. Sed clarius, Respondeo. Peccare quidem mortaliter, casu, quo præceptum sit de re graui; non vero si sit de re leui, nam tunc solùm peccaret venialiter. Sic Suarez capite 4. numero 14. Sanchez eod. numero 14. Bonac. disputat. 4. cit. questio. 1. punct. vlt. numero 6. Palaus numero 3.

## Q V A E S T I O XVI.

*An, subditus transgrediens superioris præceptum sibi per adiurbationem impositum; sit non solùm transgressor præcepti, sed etiam periurus?*

**A**ffirmant, apud Suarez, Armilla v. Adiuratio num. 5. D. Anton. 2. p. tit. 5. cap. 8. Iansenius, Toledo, & Maldonado. Sed probabilius Respondeo, solùm esse transgressor præcepti, non periurum. Sic communis Suarez capite 4. citat. numero 16. Sanchez libro 2. Sum. capite 42. numero 14. Sotus libro 8. de Iust. quest. 3.

*quest. 3. art. 1. col. mibi 3. ibi: Unde fit consequens, quod qui contra adiurationem, sibi factam venit, etiam si seruus sit, nequam est perjurus, quod vera esset, si ipse invaseret, licet fiat criminis inobedientia reus. Sic ille.*

## QVÆSTIO XVII.

*An, ex transgressione præcepti superioris, adiuratione vestiti, consurgat duplex peccatum, nempe & contra virtutem Religionis, & contra iustitiam, obedientiam, aut castitatem præceptam?*

**A**ffirmabunt Authores primæ sententia, quæst.

Sed probabilius Respondeo, Non consurgere, nisi unicum peccatum, nempe contra virtutem præceptam: non contra Religionem. Quia, ut supra est habitum, adiuratio etiam præcepto coniuncta, solum habet excitare adiuratum ad executionem præcepti: ergo ipsa non imponit præceptum: ergo &c. explicatur amplius. Nam adiutatus restituere, non remanet obligatus exequendi restitutionem, sub ratione adiurationis, cum sub quocumque fine restituat, obligationi satisfaciat: ergo adiuratio non inducit obligationem Religionis distinctam à præcepto cui adiungitur, tametsi intra illam speciem faciat, ut efficacius obliget. Sic Palaus pñct. 2. numer. 4. Suarez, & Sanchez loc. cit.

## QVÆSTIO XVIII.

*An, adiurans imperatiue eum, in quem nullam habet potestatem, peccet mortaliter?*

**A**ffirmant communiter Doctores, eo quod in hoc casu adiurans assumit nomen Dei in vanum, cum usurpet potestatem in alium, quam non habet, quantum in se est. Ita Angel. verb. adiuratio numer. 1. D. Anton. 2. p. tit. 10. capit. 8. Armilla, & Tabiena V. adiuratio numer. 6. & alij apud Siluestrum.

Sed clarius Respondeo, Peccare quidem mortaliter, si res est notabilis, alias non. Sic Siluester. v. adiuratio quæst. ultima explicans hoc modo aliquos Authores, quos pro prima sententia affert, ut Angelum, Riccard. & Archidiaconum. Sic etiam Margarita Confessor. in primo præcep. fol. 65. Sanchez lib. 2. sum. cap. 42. num. 13.

## §. II.

*De his, qui adiurare, & adiurari possunt.*

## QVÆSTIO XIX.

*An omnis creatura intellectualis vel rationalis possit adiurare?*

**R**espondeo tanquam certum. Posse. Quia quilibet creatura intellectualis, aut rationalis, (&

sola illa) contestari potest Deum, vel Sanctos, & ideo in primis Deus ipse, contestatione sui nominis, mouere potest creature ad aliquid faciendum: ergo & adiurare. Deinde Angeli, & homines, imo & dæmones, idem possunt, cum omnes hi possint repræsentare aliis nomen Dei, & Sanctorum, vt illius amore moueantur ad aliquid faciendum. Sic, vt certum, supponit Palaus tom. 3. tract. 14. disputat. 4. pñct. 3. & antea, Suarez lib. 4. cap. 2. num. 1.

## QVÆSTIO XX.

*An omnes creatura rationales possint solemniter adiurare?*

**R**espondeo tanquam certum: Quod non possunt solemniter; bene tamen priuatim. Primum constat. Quia adiurare solemniter, solum est datum Ministris Ecclesiæ, quales sunt insigniti gradu Exorcistæ, vt diximus p. 2. Secundum etiam patet: quia omnes alij possunt, priuatim, & per fidem in Christum, & invocationem eius Sanctissimi nominis dæmones adiurare. Sic omnes. Suarez libro 4. capit. 2. numero 10. & 11. Sanchez libro 2. in Decalog. capit. 42. numero 18. Palaus disputatio. 4. pñct. 3. num. 2.

## QVÆSTIO XXI.

*An, quisquis possit seipsum adiurare?*

**R**espondeo tanquam certum: quod non. Quia certum est quod persona adiurata, debet esse distincta ab adiurante. Quia sicut nemo se ipsum rogare, aut deprecari potest, ita nec adiurare. Sic Suarez cap. 2. cit. num. 2.

## QVÆSTIO XXII.

*An possit licite ab homine adiurari Deus?*

**R**espondeo tanquam certum: Posse. Quia sicuti possumus orare Deum, ita possumus, ei aliquid diuinum repræsentare, ob cuius amorem, aat merita, nostras orationes exaudiat. Id constat ex Scriptura, in qua legimus Moyser, & alios Prophetas orasse Deum, propter semetipsum, & propter Abraham, & alios iustos sibi dilectos. Et Ecclesia semper fere orat, per Christum. Igitur iam Deus adiurari potest ab homine: quamvis verum sit quod hæc adiuratio, potius obsecratio appellari, quam adiuratio debeat: vt bene D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 17. ad 1. & quæst. 90. ar. 1. ad 3. Sic communis, legantur Suarez loc. cit. numero tertio Palaus eod. numero.

## QVÆSTIO XXIII.

*An etiam Angeli Sancti, necnon homines beati, possint à nobis licite, ac Sancte adiurari?*

**R**espondeo etiam tanquam certum: Posse licite, ac Sancte, si debito modo fiat. Constat,

quia repræsentatione Dei , & Sanctorum , moueri possunt ad præstandum postulatum : ergo possunt adiurari. Sic que habet vius Ecclesiæ , nam omnes petimus à Virgine , aut per filium suum , aut per Conceptionem , Natuitatem , vel Assumptionem suam &c. ergo. Verum est , quod hæc adiuratio Sanctorum , non est aliud , quam obsecratio quædam , & pars orationis ad ipsos. Nec enim adiurare possumus Sanctos cum imperio , sed cum reuerentia eos humiliter precari , non vt auctores bonorum , sed vt intercessores , vt bene aduertit Suarez loco cit. numero quarto Sic etiam Palaus numero tertio licet non ita clare. Qua autem ratione possint adiurari homines viatores , habes supra.

## QVÆSTIO XXIV.

*An deinde, Dæmones, (& alij damnati) possint adiurari licite, & sancte?*

**N**egandum videtur. Quia hi , nec amore , nec timore Dei , nec Sanctorum , ad operandum mouentur ; sed omnia ex odio operantur : ergo non videtur posse adiurari.

Sed tanquam certum de fide , Respondeo , Adiurari posse iuste , ac licite , si debito modo fiat. Patet ex vsu Ecclesiæ , quæ ab initio consuevit adiurare Dæmones : qui vsus fundatur in Christi verbis , ac virtute , dixit enim Marci ultimo , de suis fidelibus : *In nomine meo dæmonia eiiciant.* Et Luca 10. *Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes &c.* Vnde est etiam in Ecclesia peculiaris Ordo Clericorum ad exorcizandos , seu ( quod idem est ) adiurandos dæmones institutus : ergo si hæc adiuratio debito modo fiat , licita & sancta est. Sic omnes. S. Thom. 2. 2. question. 90. art. 2. Suarez libro 4. capit. 3. numero sexto Valentia 2. 2. disputatio. 6. question. 8. punct. 2. Bellarmin. tom. 2. de Sacram. libro 1. capit. 25. Palaus numero tertio cit. Sanchez libro 2. capit. 42. numero 15. Qui bene ad rationem dubitandi respondet , dicendo , *Quod quamvis à dæmons non petatur , vt exeat à corpore obfessi , vel nocere desinat , ob gloriam Dei , & ob eius nominis reuerentiam , quod adiurationis ratio petit , ( vt supra est habitum ) frustra enim id ab eis peteretur ; quia ea voluntatis peruersitate obstinati , quidquid agunt , ex odio Dei agunt : nihilominus dicuntur bene per exorcismos adiurari , propter similitudinem , & analogiam in hoc consistentem ; quod sicut dum homines adiuramus , inducimus eos , ut propter Dei nomen , aliquid efficiant , vel caueant : ita dæmones in virtute , & potestate Nominis divini , recedere compelluntur.* Sic ille.

## QVÆSTIO XXV.

*An etiam Creatura insensibiles , vt sal , aqua , nubes , grandines &c , licite adiurari possint ?*

**A**ffirmandum videtur. Quia ex vsu Ecclesiæ constat , quod Sal & aqua , imo & nubes exorcizantur , aut adiurantur : ergo.

Sed tanquam certum Respondeo , Non posse proprie adiurari. Patet Quia creaturæ insensibiles minime sunt capaces ad percipiendam adiurationem , quæ fit per obsecrationem , petitionem , aut

imperium : ergo. Nec obstat ratio dubitandi ; quia cum sal , & aqua exorcizantur , non ipsa , sed Deus , & dæmon adiurantur. Deus , vt in eorum vsu assistat , favorem præstans : dæmon , vt fugiat & à nocendo desistat. Similiter quando adiurantur nubes , & grandines , non adiurantur ipsæ per se , sed Deus ipse , ne illa nocere permittat ; & dæmon , ne illis vrendo nobis noceat. Sic omnes D. Thom. 2. 2. question. 90. art. 3. Valentia ibi , disputatio. 6. question. 8. punct. 2. Lessius libro 2. capit. 42. dubitatio. 3. numero 72. Suarez libro 4. de Adiuratione capit. 2. numero 12. Sanchez libro 2. capit. 42. numero 37. & 38. Bonac. disputatio. 4. in 2. præcep. quest. 1. punct. ultimo nu. 3. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 14. num. 14. Palaus disp. 4. punct. 3. num. 5. & alij mox citandi.

## QVÆSTIO XXVI.

*An saltem creature sensibiles irrationales , vt locustæ , pulgon , & similia bruta , possint proprie adiurari ?*

**A**ffirmandum videtur. Quia animalia bruta videntur capacia passiū imperij : atqui adiuratio erga huiusmodi , potissimum consistit in imperio : ergo. Maior experientia probatur. Primo , nam saepe videmus animalia , etiam ferociissima , imperium hominum formidare , atque ab operando desistere : ergo ob ipsum , poterit etiam à nocendo cessare.

**S**ecundo , Quia coniuratores locustarum , bruchi ( & aliorum ledentium arbores , sata , & alia virentia ) vermium excommunicant eas , vocant in iudicium , & similia : ergo poterunt eas adiurare. Ita sentire ( sine sensu certe ) posset , qui teneret bruta animantia aliquam mentem , seu rationem habere ; vti impie , & inepte tenuere Empedocles , Porphyrius , Plutarchus , necnon ex modernis Anton. Citadinus libro 1. poster. Arist. capit. 3. Laurentius Valla capit. 9. sua dialectica apud Raphael. de la Torre 2. 2. question. 90. art. 3. disp. unica num. 4.

Sed tanquam certissimum Respondeo , Non posse. Quia irrationales creature nullius rationis sunt participes : ergo incapaces adiurbationis , cum hæc sit opus rationis practicæ. Sic communiter omnes DD. cum D. Thoma question. 90. art. 3. cit. Raphael de la Torre , nuper adductus , & alij question. antecedenti. Nec obstant argumenta contraria.

**A**d primum enim Respondeo negando bruta esse proprie capacia imperij. Quod si aliquando ad imperium hominum videmus fugere , aut formidare , vel accedere , non ideo est quia vocum significationem percipiunt ; sed quia ex gestu truci , aut verborum stridore horrido , naturali instinctu indicant esse fugiendum : sicut è contra ex vultu amicabili , & oculis lœtis esse accedendum ; hoc autem non sufficit , vt adiurbationis vi aliquid faciant.

Ad secundum iam dicam quæst. sequenti.

## QVÆSTIO XXVII.

*An sit licitum, locustam, Bruchum, & alios vermiculos, in iudicium euocare, & contestata lite, excommunicare, & anathematizare?*

**A**ffirmant esse licitum, nullamque in hoc modo coniurandi superstitionem contineri. Felix Malleol. in *Malleo Malefic.* tom. 2. libro 6. Sprenger in *Malleo* tom. 2. question. 2. capit. 1. Casfaneus consil. 1. numero 123. part. 5. & Anonym. tractat. 2. de exorcismis. Et probant quia praxis est, apud alias nationes, contra predictos vermes, instituere iudicarium processum; sicut fit contra facinorosos, & contestata lite, anathematis censura exterminari, ut refert Delrius lib. 3. *Magic.* disq. part. 2. q. 4. sect. 8. & post lib. 6. in *Anacephalosis*, monit. 11.

Sed tanquam certum omnino Respondeo omnino esse illicitum, superstitionem, vanum, ac ridiculum, tales vermes ad iudicium simul cum plebe, cui nocent, vocare: ac, constituto ex vtraque parte procuratore, & aduocato, accusare, & auditis rationibus ex vtraque parte, tandem excommunicare, & anathematizare, & ab illis locis exterminare, ac abigere. Probatur manifeste. Quia si lis, contra irrationalia intentetur; sunt litis, & sententiæ percipiendorum incapacia. Si vero, aduersus dæmones, à quibus mouentur sape; nil refert illos accusare, aut defendere, aut excommunicare: ergo. Nec refert, quod dicta animalia sape sententiæ obediunt, ac nocere desinant. Quia id non evenit ex virtute sententiæ latæ, sed ex potestate dæmonum, qui auferunt dicta animalia nocentia, ut sic vana hæc, & superstitiosa hominibus persuadeat. Sic Nauarr. libro 5. consil. tit. de sent. excommun. consil. 2. alias 5. Sotus libro 5. de Inst. question. 12 artic. 2. & libro 8. question. 3. artic. 3. fine. Delrius disquisit. Magic. loc. citat. Suarez tom. 5. in 3. p. disputatio 5. sect. 1. Henriquez & Rodriguez, quos omnes citat, ac sequitur Sanchez libro 2. sum. capit. 42. numero 39. Valentia 2. 2. disputatio 6. question. 8. punct. 2. Palaus tom. 3. tract. 14. disputatio 4. punct. 3. numero 6. Trullench libro 1. in *Decalog.* capit. 10. dubio 14. in fine. Raphael de la Torre 2. 2. question. 90. art. 3. disputatio. unica numero septimo Bonac. in noua edit. disputatio 4. in 2. præcep. *Decalog.* question. 1. punct. ultimo numero quarto vers. An autem. Filliac. numero 219. late Torreblanca libro 9. *Iuris. spirit.* capit. 13. & alij. Qui communiter dicunt, non excusari a mortali, qui has creaturas irrationales, modo enarrato, adiurant. Legatur Palaus.

## QVÆSTIO XXVIII.

*An saltem possit quis predicta bruta adiurare, si non obsecratione, aut imperio moralis, physica tamen & efficaci virtute supernaturali?*

**R**espondeo, Posse. Quia sicut Christus Dominus virtute propria imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna, ita ut viidentes mirati fuerint, dicentes, *Quis est hic qui*

*ventis, & mari imperat, & obedient ei?* Ita serui eius in fide, & virtute illius possunt idem facere. Possunt enim imperare huic monti, vt hinc transferatur, & faciet, & locustis, vt recedant, & obedient; non morali, sed (vt ita dicam) physica obedientia. Sic Suarez libro 4. capit. 2. fine & ex illo Palaus punct. 3. fine. Qui bene aduertit, adiurantem in hoc casu, debere cognoscere, le ad hos operaodos effectus, supernaturali virtute praeditum esse: quod facile cognoscet, an ex virtute divina, an ope dæmonis, haec præstet ex dictis supra tract. de superstitione. Legatur ad idem, Sanchez cap. 42. cit. fine. & Lopus in edit. Inquisit. part. 3. lib. 15. dist. 5. fine.

## §. III.

## De assistentia dæmonum in corporibus obsessis.

## QVÆSTIO XXIX.

*An, ut quis dæmonium habere dicatur, sit necessum, quod dæmon sit in ipso homini; & aliquam potestatem in eo habeat?*

**R**espondeo, Affirmative. Pro quo sciendum, quod dupli modo potest dæmon homini assistere; exterius, nempe, & interius. Si igitur solum exterius homini assistat; non dicitur homo dæmonium habere; alias S. Ioh, D. Antonius & alij Sancti, imo & ipse Christus Dominus dicebentur habere dæmonia, essentque dæmoniaci, cum sape illis dæmonium assisteret tentando, & vexando, quod est blasphemum, igitur, ut quis dæmonium habere dicatur, requiritur, quod hoc illi interius assistat, & habeat aliquam potestatem in eius corpus. Sic omnes. Legantur Thyreus lib. de dæmoniacis capit. 2. Sanchez libro 2. sum. cap. 42. num. 6. Palaus tom. 3. tract. 14. disputat. 4. de Adiurat. punct. & num. ultimo. Iodocus v. dæmones numer. 24.

## QVÆSTIO XXX.

*An, dæmon vniatur corpori obsessi, sicut anima unitur corpori, quod informat?*

**R**espondeo, Tanquam certum. Non vni sic, sed diverso omnino modo. Non anima vnitur corpori tripliciter; videlicet, vt forma, vt motor intrinsecus, & vt finis. Ut forma, dat esse specificum; vt motor, dat vegetationem, & sensitatem; & vt finis, dat ipsi perfectionem. Dæmon vero solum vnitur corpori obesse, vt motor extrinsecus; & ideo, non vegetat corpus, nec dat ei sensum; nec audit, nec videt per corpus, & ideo non talis motor, sicut est anima. Sic Tostatus super Matth. cap. 8. quest. 113. ad 2. Sanchez num. 6. citat. Lopus in edit. S. Inquisit. part. 3. libro 22. dist. 1. art. 1. diff. 3.

## QVÆSTIO XXXI.

*An, dæmon assistens corpori obfessi, exerceat in eo, omnes vires eius corporales ad motum localem pertinentes?*

**R**Espondeo exercere. Quod facit duobus modis. Primo, mouendo ipsum corpus, ad motum per se ipsum, & demonis coniuncti, seu adhaerentis corpori. Et secundo per apprehensionem ad imperium voluntatis mediante potentia executiva. Sic Bartholom. Sybilla, Henric. de Asia, quos citat, & sequitur Lupus loco citat. diff. 4. vbi aduertit, Quod licet corporalis natura obediat imperio spirituum, quantum ad motum localem, v.g. suscipiendo impulsu[m], impetu[m], projectionem &c. oportet tamen intelligi cum limitatione (scilicet) ad certam unionem. & presentiam ipsorum spirituum ad corpora, quem mouere volunt. Sic ille.

## QVÆSTIO XXXII.

*An, dæmon possit ingredi in corpus humatum, & ab illo egredi, per quamcumque eius partem?*

**N**egandum videtur. Quia omnes fideles osciantes, os signo crucis muniunt, ut dæmonibus introeundi in illos, tali signo, potest auferatur: ergo signum est, quod per os intrent.

Sed tanquam certum: Respondeo. Quod licet dæmones, saepe per os obfessorum intrent, ac exeant; nihilominus, possint facile per quamcumque partem corporis ingredi, ac exire, nempe, per os, aures, nares, perque alias quoscumque meatus, & poros; imo, & per quascumque alias solidissimas partes; Quia has penetrare, sine apertione, & ruptura spiritibus est facile. Nec per hoc potest improbari, sed potius laudari debet consuetudo cruce signandi os, eo quod per ipsum, saepe dæmones ingredi, ac exire soleant. Sic omnes. Legantur Thyreus loc. cit. cap. 9. Sanchez cap. 42. num. 7. Raph. de la Torre 2.2. q. 90. art. 2. disput. 23.

## QVÆSTIO XXXIII.

*An, dæmon possit residere in quavis hominis parte; necnon totus in toto, & totus in qualibet parte illius, instar animæ rationalis?*

**R**Espondeo: ut certum. Posse dæmonem pro arbitratu suo, totum hominem, ac omnes collectim eius partes, vel diuisim occupare, ut caput, brachia, ventrem, tibias, & cæteras partes seorsum, & omnes simul: verum est, quod ab anima in hoc discriminetur; nam cum anima omnium partium corporis sit forma, omnes vivificet, non potest alias vivificare, & alias non. Dæmones vero, cum in corporibus, ut motores resideant, non ut formæ, possunt pro sua voluntate omnes, vel solùm alias partes occupare. Sic omnes, præcipue Thyreus, Sanchez, & Tor-

re locis citatis. Difficilius est determinare loquendo de facto, quas partes hominis obfessi occupent. Pro quo sit,

## QVÆSTIO XXXIV.

*An, Dæmones de facto, regulariter loquendo, in corde, aut prope illud, residenceant?*

**R**Espondeo: Affirmative. Quia, quamvis, ut nuper diximus, dæmon in qualibet corporis parte possit esse, & totus in toto, ac totus in qualibet parte instar animæ rationalis, (non vnius sed per se stans, sicut motor, & gubernator nautis, navi assistit) & nunc in una, nunc vero in alia: tamen de facto, eius assistentia regulariter est in corde, aut prope illud, ut inde prauos motus excitet: quia cum principium omnium actionum corporis humani sit cor, ut facilius vexare, ac exagitare totum corpus possint, suas sedes in corde, vel prope cor, eligunt. Sic Thyreus, Sanchez, & la Torre citati. Palaus disputat. quarta punct. & numero ultimo. Iodocus vers. dæmones num. 32.

## QVÆSTIO XXXV.

*An, in uno, & eodem homine, possint esse multa dæmonia?*

**N**egarunt quidam, suppressis nominibus, ci-tati ab Abulensi in 8. Math. quest. 136. eo quod obstet odium crudele, quod dæmones habent inter se, propter quod nequibunt in eodem domicilio habitare.

Sed tanquam de fide certum respondeo dicendum, quod possint esse. Constat ex Matth. cap. 8. vbi dicitur, legionem dæmoniorum unum vexasse hominem: & Luca 8. Christum eiecisse à Magdalena septem dæmonia: ergo. Deinde constat: quia dæmones carent quantitate: ergo ubi unus est, ibi innumeri esse possunt. Sic omnes, legantur Abulensi. & Sanchez loc. cit. Raphael de la Torre 2.2.q.90.art.2.disput.23. Qui ex D. Thoma bene ad rationem dubitandi dicit, quod quamvis dæmones, maxime inter se dissident, tamen in nocendo hominibus, societatem inierunt, & vnamimes conspirarunt.

## QVÆSTIO XXXVI.

*An plures Dæmones plus vexent corpus obfessi, quam unus, & quomodo?*

**R**Espondeo: Circa primum, plus vexare, communiter loquendo. Quia plures sunt ad id intenti. Constat ex illo dæmoniaco à legione dæmoniorum, id est, à 6666. occupato, cui plures dæmones plura tormenta inferebant: habebat enim habitationem in monumentis; non poterat eum quisquam catenis constringere, diu, & noctu in montibus vagabatur, lapidibus se concidebat, &c. sic la Torre disp. 23. cit. n. 2. Dixi, communiter loquendo, quia certum est, quod unus dæmon solus, tantum potest nocere homini quantum plures, ut ait Iodocus v. dæmones n. 35.

Circa

Circa secundum, ex eodem, Respondeo quod multis modis possumus imaginare, dæmones inhabitantes in uno homine tot, & tantas molestias inferre. Primo modo, ut singuli in propriis, ac distinctis partibus hominis resideant, in quibus quisque operetur, cruciando, & torquendo &c. Secundo modo, ut omnes in omnibus partibus hominis essendo, quilibet diuersa inferant nocu- mента: ita ut v. g. quidam cor constringant, alijs percutiant, &c. Legatur la Torre loc.cit.

## QVÆSTIO XXXVII.

An, dæmones, ex infimo solum Ordine, vel gradu, hominum obsideant corpora, eaque vexent?

**A** Firmandum videtur. Quia Angeli supremi Ordinis, ut Cherubim, ac Seraphim, non se immiscent mundanis negotiis, sed contemplationi soli, & amori Dei vacant: ergo, neque mali spiritus ordinis superioris mala nostra meditantur, puta ingressum in corpora, aut animarum tentationem; sed solis malis spiritibus inferioris ordinis reseruantur, cæteris nil de hoc cogitantibus, flammis perpetuo in inferno detrusis.

Sed omnino Respondeo ut certum, quod non solum dæmones ex infimo ordine, vel gradu, hominum ingrediantur corpora, illaque vexent; sed etiam ex ordine superiori. Quia id colligitur ex Paulo ad Ephes.6. dicente: Non est nobis collectatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principatus, & Potestates, aduersus mundi rectores nebrarum harum, contra spirituales nequitias in cœlestibus. Ecce, Principatus, & Potestates, qui sunt ex ordine superiori dæmonum, dicitur esse nobis infestos: possunt igitur ingredi humana corpora. Quia vero ex infimo ordine dæmones molestent, & ingrediantur mortalia corpora, nulla potest esse ratio dubitandi, cum infimus eorum gradus exposcat, vt in his curis se intromittant. Igitur ex omni gradu, ac ordine dæmoniorum, cupiunt ingressum in hominum corpora, & perficiunt, quando Deus hoc illis permittit. Sic Raph. de la Torre loc.cit. disp.25. Iodocus verb. dæmones, n.34. ex Thyro cap.12.

## §. IV.

De signis, quibus aliquis cognoscitur esse dæmoniacus, & à dæmons obfessus.

## QVÆSTIO XXXVIII.

An, si quis non posset continuare esum carnis hædine per dies triginta, iudicari debeat dæmoniacus?

**A** Ffirmat Samarinus 1. p. Sacerdotalis tract. de Exorcismo cap.3.

Sed omnino oppositum, Respondeo. Quia tale indicium, esse optimum, ad cognoscendam, & detegendam Epilepticorum affectionem; non vero obfessorum à dæmons, seu Enesgumenorum, qui

plerique Epileptici non sunt, optime sentit Del- rius, lib.6. disquis. Magic.c.2. sect.1. quest.3. vers. Samarinus, pag.mil. 184.

## QVÆSTIO XXXIX.

An, sit iudicandus dæmoniacus homo ille, qui oculos terribiles, & horribilem, ac truculentum vultum &c. habet?

**A** Firmandum videtur. Quia ipsi dæmones sunt terribiles, crudelissimi, ac truces: ergo tales formas illis, in quibus habitant imprimunt. Ita sentiunt Samarinus loco citat. cui consentit Delrius.

Sed clarius Respondeo, Esse iudicandum dæmoniacum, conjecturaliter tantum, non certitudinaliter: eo quod possit nonnunquam quis habere oculos terribiles, ac vultum truculentum, ab infirmitate aliqua, aut à natura. Sic Raphael de la Torre 2.2.q.90.art.3. disp.26.n.3.

## QVÆSTIO XL.

An sit certum signum obfidentis dæmonis stupor membrorum, & vitalium omnium fere operationum priuatio?

**A** Firmandum videtur: ex obfesso illo, qui, ut dicitur Matth.9. & Luce 11. priuatus erat visu, auditu, & locutione.

Sed Respondeo dicendum esse signum quidem, sed non omnino certum, & indubitatum; sed conjecturaliter tantum. Quia talis stupor, operationum vitalium priuatio, interdum prouenit à morbis caducis. Sic Raphael de la Torre disputatio.26. numer.3.

## QVÆSTIO XLI.

An sit certum signum hominis obfessi, si habeat vires, que excedere videantur facultatem hominis?

**R** Espondeo dicendum, quod quamvis sit, si- gnum generans vehementem suspicionem, ac conjecturam inhabitationis dæmonum in tali homine, non tamen certum, & infallibile. Quia multi sunt adhuc nostris temporibus ingentium virium, quos tamen non proinde obfessos esse dicimus. Sic la Torre loco citat. numero tertio sed, vt dixi, vere generare suspicionem vehementem; constat ex Rituali Rom, tit. de exorcis- an- dis obfessis, & tradit Lupus part.3. lib.2.2. dist.4. artic.3.

## QVÆSTIO XLII.

An sit certum, & indubitatum signum, ener- gumeni, aut obfessi; si loquatur sermonem alienum à patria sua, quem ante morbum non didicerat?

**N** Egat adhuc hoc signum esse infallibile Lemnius, qui libro 2. capit.2. de Occulis natura, docet,

docet, melancholicos, & phreneticos, ex frequentissima humorum ebullitione, & vehementi spirituum agitatione, posse variis linguis loqui; quatinus antea nullam earum nouerint.

Sed ut quid certum Respondeo, Esse certum, & indubitatum signum energumeni. Quia impossibile est, hominem proferre suos conceptus peregrina lingua, quam minime didicit: ergo debet esse ab aliquo spiritu inhabitante talem hominem; siue spiritus ille bonus, sit, siue malus, uterque enim omne genus linguarum proba sciunt. Sic communiter Doctores. Sammarinus, quem citat, & sequitur Deltrius question. 3. cit. vers. Sammarinus. Sotus libro 8. de Iust. question. 3. artic. 2. ad 2. vers. Primo arguento subnotatur. Ciruelo de superst. 3. p. capit. 8. Thyreus de Daemoniacis capit. 22. Sanchez libro 2. capit. 42. numero nono Raphael de la Torre 2. 2. question. 90. artic. 3. disputatio. 26. numero quarto. Qui bene addunt, ad idiomatis peregrini signum, referri scientiam legendi, aut scribendi, aut cantandi, aut rerum naturalium nullo studio comparatam. Sic etiam ex Rituali Rom. docet Lupus loco cit. Iodocus v. dæmones, n. 43.

## QVÆSTIO XLIII.

An possit certo quis indicari daemoniacus, si quando leguntur exorcismi super eum, conturbetur?

**R**espondeo, Posse certo. Quia est signum efficax, ut ait Sammarinus loco citat. & ex illo Deltrius. Quia addunt hæc alia signa, quæ inter coniurandum energumenum occurunt. Nam quando Sacerdos (inquiunt) ponit manum super caput Energumeni, tunc aliqui sentiunt sub manu rem frigidissimam, tanquam glaciem. Aliquis descendit ventus per humeros, & tenes, qui est frigidissimus. Aliquis caput in immensum aggrauatur. Aliquis cerebrum constringitur, & perforatur, sicut si gladio percuteretur. Aliquis inflammatur caput, & facies, & aliquando tota persona, ac si esset vapor ignis. Aliquis febris immensa cum doloribus capitis euenit, & totum corpus extenuatur, & tangitur: sed omnia ista accidentaria parum durant, quia coniuratio tollit dæmonis vigorem. Aliquis constringitur guttur, adeoque videntur strangulari. Aliquis ad orificio stomachi mouetur quædam res ad modum pilæ, ac si essent vermes, ac formicæ, aut ranæ. Quibusdam accidit vomitus magnus stomachi. Aliquis magna tortura in visceribus Nonnullis venter vehementer inflatur. Quibusdam constringitur cor, ac si intollerabiliter feriretur. Ostenditur etiam dæmon in aliqua corporis parte palpitando, sicut pisces, aut in modum formicarum. Aliquando pertransit à capite usque ad digitos pedum, sicut ventus, & c contra. Sic illi.

## QVÆSTIO XLIV.

An, suspecti sint de dæmonio inhabitante, qui recusant innocare nomen Iesu, aut Mariae, aut recitare aliquem Psalmum, aut aliam piam orationem?

**R**espondeo omnino esse suspectos. Situti sunt illi, qui concutiuntur torrentur, sunt impatiens, & blasphemant, quando eis adhibetur Sanctorum Reliquiæ, Agnus Dei benedicti, aut Crucis signum frontibus eorum imprimitur; aut aqua benedicta asperguntur: aut Sacrosancta Eucharistia ostenditur, vel in aurem ipsorum lingua peregrina insulsuratum fuerit illud Deuteronom. 32. Deum, qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui. Sic ex Thyreus libro 6. capit. 26. docet Iodocus v. dæmones num. 45. Raphael de la Torre 2. 2. question. 90. artic. 2. disputatio. 26. numer. 9. lege de aliis signis loquentem Iodocum loco citat. num. 27. 28. 41. & 44.

## S. V.

De Modo eiiciendi dæmones ex obsecris.

## QVÆSTIO XLV.

An, in Ecclesia sit potestas à Christo data, coercendi, & imperandi dæmonibus, eosque ex obsecris eiiciendi?

**R**espondeo tanquam certum de fide. Esse in Ecclesia. Constat primo ex Luca 10. vbi dicentibus Apostolis suo Magistro Christo: Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. (intellige, propter potestatem ab ipso Domino eis collatam Matth. 10.) subdit Christus, quasi renouans talen potestatem: Ecce dedi vobis talen potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones (idest, dæmones) & super omnem virtutem inimici, (idest, exercitum dæmoniorum) Et Martiultimo. In nomine meo dæmonia eiicient. Secundò constat ex multis miraculis, quæ patravunt Apostoli, circa expulsionem dæmoniorum, vt constat ex loco Lucæ adducto, & ex lib. Actuum Apostol. capit. 9. & 15. Et tandem constat ex Exorcismis ad hunc effectum ab Ecclesia institutis. Sic omnes Catholicoli.

## QVÆSTIO XLVI.

An etiam in Ecclesia sit potestas immittendi dæmones in homines, vt eos corporaliter vexent?

**A**ffirmant aliqui Authores esse nunc in Ecclesia tanlam potestatem; eo quod, in primitiis, fuisse Apostolis concessam, constat ex scriptura Sacra, in qua habetur, quod Apostolus Paulus tradiderit Sathanæ incestuosem Corinthum. 1. Cor. 5. & Hymeneum, atque Alexandrum ob eorum blasphemiam, 1. Timoth. 1. Confirmans suam sententiam,

tiam, quia s̄pē cum d̄emones eiiciuntur ab hominibus, pertinet ab exorcistis, ut eis liceat intrare in alios homines, vt petiti quidam d̄emon, quem ex Artemia Imperatoris Diocletiani filia eiecit S. Cyriacus, vt refert Surius to. 4. ergo d̄emones cognoscunt hanc potestatem habere Exorcistas. Ita fentre videtur Iodocus v. d̄emones numer. 39. v. Tertio, & numer. 58. vers. Tertio ex Thyreo libro sexto, capite 16. & 50.

Negant verò contra alij, docentes, quod licet Apostoli omnes habuerint dictam potestatem immittendi d̄emones in aliquem hominem; tamen ad posteros nunquam fuisse deriuatam; quia (inquit) si deriuata fuisset ad posteros, & modo extaret in Ecclesia, semel, aut iterum executioni mandaretur, quod certe non fit. Sic Raph. de la Torre 2. 2. q. 90. art. 2. disp. 1. n. 6.

Sed ego clarius, ac probabilius Respondeo. Et fuisse tales potestatem in Apostolis, vt omnes utriusque iuris Doctores affirmant; & deriuatam fuisse ad posteros, & nunc in Ecclesia extare: non tamen occurrere posse, moraliter, casum, in quo talis potestas possit executioni mandare, eo quod aliis modis, & pœnis criminosi puniri queant. Et sic in concordiam redigi possunt Authores pro utraque sententia adducti. An autem possit ad exorcista facere, casu, quo id petat d̄emon dicemus infra questione 67. & 68.

### Q V A E S T I O X L V I I .

An, potestas expellendi d̄emones possit esse naturalis?

**A**ffirmarunt quidam Medici, inter quos fuerunt Fulginas, Forliuius, Garbus, & alij, attingentes hanc potestatem hominibus temperaturam quandam æqualitatis, ex humorum, & qualitatum actiuarum ad pondus aqua mixtione habentibus.

Sed tanquam certissimum Respondeo. Minime posse esse naturalem. Patet, tum; quia nullus homo mortalis, & corporeus potest habere imperium, aut potestatem cogendi d̄emones, qui incorporei, & immortales sunt, vt fugiant, aut aliquid aliud faciant. Tum etiam; quia potestas eiiciendi d̄emones connumeratur inter gratias miraculorum, vt ait D. Thom. de potent. q. 6. art. 9. argum. 15. Estque Dominum Dei, vt dicitur 1. ad Corint. 12. ergo talis potestas supernaturalis est. Vnde opinio Medicorum relata, omnino reicienda est. Sic Raph. de la Torre loc. cit. disp. 3. per totam. Iodocus cit. n. 52.

### Q V A E S T I O X L V I I I .

An, haec potestas eiiciendi d̄emones solemniter, sit solis Exorcistis concessa?

**R**espondeo, Tanquam certum dicendum, quod solum Exorcistis sit concessa potestas eiiciendi d̄emones ex obsecisis, solemnni ritu. Quia exercitium huius potestatis est actus Ordinis Ecclesiastici, vt alias diximus: ergo solemniter nequit exerceri, nisi ab ordine tali insignitis, qui sunt Exorcistæ. Duxi, solemniter, quia adiurare d̄emones præcipiendo illis exire, nuda, ac simplici adiuratione, omnibus utriusque sextus est licitum, vt omnes fatentur:

R. P. Leand. in Decalogu.

### Q V A E S T I O X L I X .

An omnes Exorciste potiantur dono actuali eiiciendi dæmonia?

**N**egandum videtur. Quia gratia haec eiiciendi dæmonia pertinet ad gratiam miraculorum, at huiusmodi gratiam, sicuti alias gratis datas, dividit Spiritus Sanctus singulis prout vult, vt ait Paulus 1. Cor. 12. ergo gratia haec eiiciendi dæmones, non conuenit omnibus Exorcistis, sed quibusdam sic, quibusdam non. Propter hoc, & alia argumenta, hanc negatiuam partem esse probabilem, affirmat Raph. de la Torre 2. 2. questio. 90. art. 2. disputat. 5. numero 14.

Sed, vt certum mihi Respondeo: omnes Exorcistæ potiri dono actuali eiiciendi dæmonia, quotiescumque se offerat occasio, & electio illorum sit expediens. Probatur. Quia ordo Exorcistarum est verum Sacramentum à Christo Domino institutum, inter alios effectus, ad pellendos dæmones è corporibus obsecisis, vt diximus, 2. p. tr. 6. disp. 1. q. 6. & disp. 2. q. 13. & 14. ergo ex vi Sacramenti recepti, omnes Exorcistæ habent hanc gratiam, & potestatem ad abigendos dæmones: ergo quotiescumque se offerat occasio, & expediatur, actualiter eiiciunt. Sic tandem hanc partem, vt probabiliter tenet Raphaël loc. cit.

### Q V A E S T I O L .

An sint aliqui Exorcistæ, qui pre ceteris, efficacius eiiciant è corporibus obsecisis dæmonia?

**R**espondeo, Tanquam certum. Esse quidem, quod experientia docet: & Historia memorant. Sed unde proueniat, obscurum est. Nam in primis non prouenit à Sanctitate; quia interdum sunt homines mali, qui hac gratia pollent. Prout vel ex deputatione Spiritus Sancti diuidentis dona sua prout vult: vel ex multiplicatis actibus potestatis expellendi, ex qua multiplicatione fides, & fiducia adiurantis robustiores fiunt, experientes fœlicem euénium. Legatur la Torre loc. cit. n. 17.

### Q V A E S T I O L I .

An, sanctitas, & morum integritas sit requisiuta in Adiurante dæmones, ad eiiciendos illos?

**A**ffirmarunt aliqui, quos recenset Tostatus sup. 7. capit. Matth. questio. 33. docentes, minime frui potestate eiiciendi dæmones, illos, quibus gratia, & Charitas deest.

Sed Tanquam certum Respondeo. Minime esse necessariam sanctitatem, aut morum integritatem, in eo, qui potestatem eiiciendi dæmones, per ordinem receptum, habet: Constat id ex Scriptura Sacra Matth. 7. Luca 9. & 10. & Marci 9. vbi fit mentione quorundam hominum, qui dæmonia eiecerunt, tametsi peccatores fuerint. Sic Sanchez libro 1. sum. capite 42. numero 16. per haec verba: Potestas autem haec, non instituit Sanctitati Ministri.

etsi ea non parum iuuet; sed inuocationi nominis diuini, fidei, & Sanctitati Ecclesiae, in cuius persona exorcismi ab eius Ministris dicuntur. Sicut nec Sacramentorum efficacia à Ministri sanctitate pendet. Sic ille ex D.Thoma Suario, & Thyreo. Sic etiam Iodocus v. dæmones num. 52. Raphaël de la Torre 2.2.q.90.art.2. disp.7.

Et alij, qui omnes tamen fatentur sanctitatem, ac morum integratatem, maximè conducere ad exterminandos dæmones. Quod idem dicunt, loquendo de necessitate fidei virtutis Theologicæ, & fidei, quæ annumerantur inter gratias gratis datas.

## QVÆSTIO LII.

*An sit aliquod dæmoniorum genus, quod difficilis, quam cætera, ab obſeffis abiguntur?*

**R**espondeo, Tanquam certum: Esse. Id namque constat tum ex Scriptura, narrante de illo dæmoni, quem Apostoli non potuerunt eiicere, cum quamplurimos alios expulissent. *Math. 17. & Marci 9.* Tum ex experientia Exorcistarum, affirmantur esse aliquos dæmones, qui facile; alios verò, qui difficilis, & magno cum labore, expelluntur. Sic omnes.

## QVÆSTIO LIII.

*An, genus dæmoniorum, quæ difficilis obſeffis pelluntur, sint dæmones lunatici, surdi, & muti?*

**N**egant aliqui existimantes, quod dæmones, qui difficilis pelluntur, & ad quos fugandos, necessum sit, Exorcistas oratione, ac ieunio muniri, esse dæmones superiòrum ordinum, eo quod maiores vestres possideant.

Alij dicunt, non hos esse; sed illos dæmenes, qui neque tantillam requiem miseris obſeffis impariuntur.

Alij neque hos; sed illos, qui diutius Energumenos vexarunt.

Alij denique, non prædictos; sed solùm dæmones, qui sunt lunatici, surdi, ac muti, difficilis expelli, volunt. Quia id videtur clare colligi ex scriptura *Math. 17. & Marci 9.* vbi Apostolis sc̄itancibus, quare non potuerunt dæmoniacum puerum liberare? Respondit Iesus, *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire nisi in oratione, & ieunio.* At sic est, quod ille dæmon crucians, ac vexans illum puerum, erat lunaticus, surdus, & mutus: vt constat ex locis scripture citatis: ergo. Sic tenet Raphaël loc. citat. disp. 9. à num. 6. Qui num. 10. reddit rationem, aut causam, quare huiusmodi difficilis expellantur, dicens, causam esse; quia cum maiorem potestatem accipiant, supra obſeffos; maior subinde vis requiritur in eos pellentibus.

Sed ego Respondeo, dicendum, quod licet regulariter loquendo, difficilis expellantur dæmones lunatici, surdi, ac muti, vt bene probat Raphaël; tamen aliquando potest accidere, quod alij dæmones maiorem à Deo potestatem accipiant ad vexandos homines, & consequenter difficilis expelli valeant.

## QVÆSTIO LIV.

*An, ad expellenda dæmonia lunatica, surda, & muta, omnino sit necessum, Exorcistam oratione, & ieunio muniri?*

**N**egandum videtur. Quia nec sanctitas, nec fidēs, nec morum integritas est omnino requisita in adiurante, dæmones, ad illos expellendos: ergo nec necessaria erunt ad idem, oratio, & ieunium: Erunt solùm ergo ad effectum expulsionis, valde conductientia, sicut sunt alia enumerata. q. 51.

Sed omnino, Respondeo orationem, & ieunium esse omnino necessaria in Adiurante ad expellenda dæmonia lunatica, surda, & muta. Quia sic colligitur ex verbis Iesu dicentis *Mar. 9.* *Hoc genus dæmoniorum non potest eiici, nisi in oratione, & ieunio.* vbi, vt vides, absolutam potestatem negat, nisi præcedentibus oratione, & ieunio: Et hoc, non ob aliā causam, nisi quia sic placuit ipsi Christo Domino. Sic la Torre loc. cit. disp. 9.n.11. Qui bene contra aliquos addit, orationem, & ieunium, debere præcedi, & inueniri in Adiurante, non in Adiurato: quia certè in puer illo à dæmonie vexato hæc non desiderabantur; cum ferè infatuatus ab illo teneatur, & ineptus ad orationem, & ieungium.

## QVÆSTIO LV.

*An Exorcismi, quibus nunc utitur Ecclesia ad expellendos dæmones, usi fuerint sancti in primitiis?*

**R**espondeo, Quod non. Nam in primitiis Ecclesia Apostoli omnes, & alij Patres nuda, ac simplici forma, & brevi ritu, vñi sunt in dæmonis expellendis; veluti hac: *Principio tibi dæmon per Iesu nomen, vt exeras ab homine isto.* Nunc autem nostris temporibus, ampliori exorcismorum forma, plures res, & verba, nempe orationes, Euanlia, preces, crucem, Reliquias, &c. complectenti, vtitur; vt constat ex Rituali Romano. Sic Iodocus, v. dæmones numer. 54. docet, per hæc verba: *Horum, (Exorcismorum Ecclesiasticorum) usus fuit, etiam D. Cypriani Episcopi, & Martyris temporibus.* Et quanta eorum virtus sit, manifestarunt hacennus innumera exempla obſefforum, per eosdem liberatorum. Nec refert multum, quod veteres, paucioribus precibus, ac ritibus in suis Exorcismis sint vñi, quam fiat hacennus ab aliquot saculis in Ecclesia. Omnia enim pietas suavit, eruditio digessit, usus comprobauit. Sic ille ex Thyreo lib. 6.c. 46. Legantur etiam Raphael loc. cit. disp. 12.num. 7.

## QVÆSTIO LVI.

*An, Exorcismi Ecclesiastici habeant virtutem pellendi dæmones, ex opere operato?*

**R**espondeo dicendum; Habere virtutē ex opere operato nempe, vt ipsorum Exorcismorū: sicut & Sacraenta cōferende gratiæ. Nam Christus Dominus facultatē tribuit Ecclesiæ hos Exorcismos instruendi, quibus tanquā instrumentis, Ministri Ecclesiæ, virtute Christi, dæmones expellunt. Sic Sanch. lib. 2.

*lib. 2. in Decal. cap. 42. numer. 16. ex D. Thoma 3.p. quest. 71. art. 3. & Soto in 4. dist. 6. quest. 2. art. 3. Sic etiam Valentia 2.2. disp. 6. quest. 7. punct. 2. quest. 2. Palaus tom. 3. tract. 14. de Adiurat. disp. 4. punct. ultimi num. 19. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dubit. 14. numer. 6. Marchin. de Ordine tract. 2. p. 4. capit. 10. Machado lib. 4. p. 1. tra. 2. docum. 4. n. 6.*

## Q V A E S T I O L V I I .

*An, Exorcismi Ecclesiae habeant vim, virtutemque infallibilem, expellendi dæmonem?*

**A**ffirmant ( apud Raphael. de la Tore, ) Caientan in cap. ultim. Marci, & Castro contra heres, verb. *Exorcismus*, docentes, Exorcismos vere habere efficaciam, secundum ordinariam Dei legem ad expellendos demones; impediri tamen quandoque, ob modicam ministri fidem: sicut & gratia est infallibilis Sacramentorum effectus, nisi recipientis obex obstat. Hanc sententiam esse valde probabilem dicit Valentia, *vbi supra*, eamque, licet non tueatur, multis argumentis comprobat Raphael.

Sed probabilius Respondeo, Non habere virtutem infallibilem; sed ex congruitate quadam, frequenter, & propter diuinæ prouidentiæ conueniens fuerit. Constat. Quia, Apostoli vtentes solitis tunc exorcismis, quibus multa dæmonia profligant, nequierunt puerum quemdam dæmoniacum liberare Matth. 17. ergo exorcismi, etiam Apostolorum, non semper infallibiliter sortiebantur effectum, aut efficaces fuere. Et Confirmatur. Nam etiam nunc videmus passim, Exorcismos Ecclesiasticos non assequi hunc effectum: ergo expellere de facto, & infallibiliter dæmones non competit exorcismis. Sic Valentia 2.2. disp. 6. quest. 8. punct. 2. ver. Nihilominus. Delius lib. 6. Magic. cap. 2. quest. 3. sect. 3. remedio 4. Thyreus de Dæmoniac. cap. 47. nn. 6. Victoria, Sotus & Suarez, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 2. cap. 42. numer. 16. Raphael loc. cit. disp. 16. num. 3. Palaus, & Machado loc. cit. & Philibert. Mardun. loc. cit. per hæc verba: Ceterum non habent exorcismi infallibilem effectum ex opere operato; sicut habent Sacra menta in non ponentibus obicem. Quare statuendum est, effectum Characteris in Ordine hoc Exorcistatus infallibilem esse, quoad potestatem adiurandi dæmones: eos vero expellendi, si diuina placuerit voluntati, ut satis constat ex forma huius Ordinis, & ex Catechismo Romano part. 2. vbi de Exorcistatu agitur. Locus autem ille, In nomine meo dæmonia eiiciunt: non fundat pro omnibus diuinam promissionem; sed pro aliquibus, & necessitate Ecclesie sic postulante, & iuxta diuinæ voluntatis, & prouidentiæ leges. Sic ille.

## Q V A E S T I O L V I I I .

*An, causa, cur Exorcismi, contra dæmonios, effectum non semper habeant, sit sola voluntas, & beneplacitum Dei?*

**R**espondeo dicendum, quod licet præcipua, vt diximus, sit beneplacitum Dei, eo quod ipse non velit semper operari per Exorcismos, ( sicuti operatur per Sacra menta, quorum maior est necessitas, ) nisi quando id iustum, & utile iudicat,

*R. P. Leand. in Decalogum.*

vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi; vel ad monendos bonos, vt proficiant in fide, vt dixit D. Augustin. lib. 83. quest. 79. nihilominus, alia possunt assignari causæ tam ex parte Ministrorum, quam ex parte obsecorum, cur non semper effectum Exorcismi habeant. Sic igitur,

*Secunda*, Negligens præparatio aut conscientia mala Ministri exorcizantis, quia licet non sit absolute necessaria Sanctitas Ministri, vt *suprà* est habitum, potest aliquando tamen impedire effectum; eo quod non velit Deus hoc admirabile opus per eius exorcismos perficere.

*Tertia* est peccata obsecorum, quæ nolunt confiteri, neque deserere. Aut quæ necdum satis sunt punita: Aut quia non expedit eis, vt cito curentur, ne grauiora peccata committant.

*Quarta* est occultum Dei iudicium, qui aliquando effectum Exorcismi suspendit, ex causis nobis occultis. Legantur Authores citati, præcipue Iodocus *v. dæmones*, numero 55. Raphael numero quarto Delius loco citat. vbi sic ait: *Si quaras cur non semper dæmon pellatur? res clara est; id peccatis obseci, vel adiurantis posse contingere, vel ob maiorem ipsius agri utilitatem, Deique gloriam.* Sic ille. Qui etiam ex Tostato adiurit, non solere exorcismis omnes molestias, & vexationes, quas dæmones inferunt hominibus repellere: sed solum illas, ad quas repellendas Exorcismi ab Ecclesia ordinantur: vt sunt molestia, quas inferunt manendo in corporibus, & illa vexando: sine dum interius manent, sine dum exterius obsecunt. Et illa ( inquit Tostatus ) regulariter sanantur per exorcismos: maleficia autem dæmonum, & alia mala, quæ nobis inferunt, contra quæ non ordinantur directe exorcismi, non curantur per exorcismos nisi raro. Sic Delius ex Tostato, & ex utroque Sanchez loc. cit. n. 17.

## Q V A E S T I O L I X .

*An, expulso uno dæmons, omnes consequenter pellantur?*

**R**espondeo dicendum; quod communiter, & vt in plurimum, omnes pellantur: non tamen sit necessum. *Primum* constat experientia, nam nunquam legitur, uno dæmoni expulso, socios eius in corpore manere. Deinde quia exorcismi, quibus dæmon expellitur, omnibus dæmonibus obsecratis aequæ sunt molesti: ergo credi potest, quod sicut virtute illorum unus ex eis fugatur, ita & cæteri fugentur.

*Secundum*, etiam liquet: quia non omnes dæmones habent eandem potestatem in obsecrum; sed quidam maiorem, & alij minorem: ergo fieri potest, vt soli dæmones qui minorem habent potestatem, exire cogantur, cæteris in eodem obsecro manentibus. Sic Thyreus de Dæmoniacis capit. 55. Sanchez libro 2. capit. 42. numero octavo Bonac. in 2. præcep. Decalog. disputatio 4. question. 1. punct. ultimo numero 16. alias 15. Palaus punct. 4. citat. numer. 17.

## QVÆSTIO LX.

*An liceat, dæmones adiurare deprecative, ut ob Dei nomen, exeant è corpore obseSSI?*

**R**Espondeo tanquam certissimum: Non licere. Quia deprecari, aut obsecrare dæmonem, vt exeat à corpore obseSSI, est societatem cum illo habere, & operibus illius malignis communicare, & quasi se illi subiicere: at hoc omnino est prohibitum: ergo minime licet adiurare dæmones deprecative. Sic communiter DD. dicens id facere, esse mortale grauissimum. Legantur D.Thom. 2.2. question. 90. art. 2. Raphael, & alij Theolog. Sotus lib. 8. de Iust. quest. 3. art. 2. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de Adiurat. cap. 2. num. 8. & 9. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 13. num. 70. & 71. Valentia 2.2. dissp. 6. quest. 8. punct. 2. quest. 2. Sanchez lib. 2. cap. 42. n. 19. Nauart. cap. 11. numer. 28. & alij solum igitur licet dæmones adiurare, imperando, & obstringendo eos per modum coactionis.

## QVÆSTIO LXI.

*An saltē licitum sit, rogare, aut præcipere dæmonibus, ut nobis aliquod obsequium prestant?*

**R**Espondeo tanquam certissimum: Nec id licet. Quia id efficere, est, velle vti eorum ministerio & obsequio, & consequenter velle habere & inire societatem cum ipsis: quod est mortale; vt ait Nauarrus loc.cit. his verbis: *Octavo peccat mortaliter, qui dæmonem per modum obsecrationis adiurat, vt ab eo aliquid discat, vel auxilium ab eo accipiat,* cap. Illud 26 question. 2. *Quamquam licitum sit, dæmones adiurare per modum coactionis, obstringendo eos Ecclesiasticis exorcismis, vel quando sine invocatione ipsi adsunt, vt solent in arreptitiis adesse.* Nam licet tunc eos interrogare, sine preceptamen, & sine aliquo societatis pacto, ad aliquorum utilitatem, secundum B. Anton. 2. p. tit. 12. cap. 1. § 5. Sic ille. Et Sanchez cum aliis Authoribus, quest. antecedenti adducti.

## QVÆSTIO LXII.

*An liceat Adiuranti, petere à dæmone superiori, ut inferiorem è corpore pellat?*

**A**ffirmandum videtur. Quia hæc petitio maxime conductus expulsione; imo est ipsius expulsoris petitio: ergo licita.

Sed vt certum Respondeo, Non licere Adiuranti petere à dæmone superiori, vt alium inferiorem residentem in corpore alicuius hominis pellat; casu administris, quo dæmon superior simul cum inferiori in eodem corpore obseSSI resideat. Quia petere à dæmone beneficium, ac subinde iniures patet, & amicitiam cum ipso, quod esse mortale, nuper diximus. Sic omnes Authores nuper citati, præcipue Palaus n. 9. Lopus in editum S. Inquisit. 3. part. lib. 16. dist. 8. artic. 1. diff. 2. Suarez, Sotus, Lessius, & alij.

## QVÆSTIO LXIII.

*An saltē licitum sit adiuranti, præcipere dæmoni superiori, v.g. lucifero existenti in inferno; ut dæmonem inferiorem residentem in aliquo homine pellat?*

**A**ffirmandum videtur. Quia Adiurator potest præcipere lucifero, vt dæmones sibi inobedientes excruciet in inferno, vt dicunt Flagell. dæmon. 2. p. cap. 4. & alij, quos citat, & sequitur Lopus loco citat. ergo etiam potest præcipere illi, vt alios dæmones ab obseSSis pellat: quia in hoc nulla reperitur peritio, nulla obsecratio, sed præceptum, & obiurgatio. Ita sentit Siluest. v. *Adiuratio* quest. 5. num. 3.

Sed omnino Respondeo dicendum, adhuc id non esse licitum adiuranti. Quia Christus Dominus non reliquit potestatem Ecclesiæ cogendi dæmones superiores, vt inferiores expectent; sed solum ad expellendos eos, qui in corporibus resident. Sic Sotus, Suarez, Lessius, & alij, quos citant, & sequitur Palaus. numero nono Sanchez numero 19. & 21. Et constat ex nuper dictis, quia re vera vellet per hoc beneficium aliquod à dæmone obtinere.

## QVÆSTIO LXIV.

*An administris, liceat Adiuranti, præcipere dæmoni superiori, simul cum aliis inferioribus hominem obsecendi, ut exeat, & secum pellat inferiores alios?*

**A**ffirmat Siluest. loco nuper citato, quem citat, & sequitur Bonacina in 2. præcep. Decalog. disputatio. 4. question. 1. punct. ultimo numero quinto ita dicens: *Potest enim adiurator præcipere dæmoni superiori, vt totam suam legionem secum ducat, nullumque sui cætus in corpore derelinquat, hoc autem non est expectare beneficium à dæmone, nec est societas cum dæmone, sed recessus, vt fugetur, & expellatur.* Hæc ille.

Negant contra, Sanchez, Sotus, Suarez, Lessius, & alij suprà citati. Quia putant, hoc esse beneficium aliquod à dæmone recipere.

Sed probabilius, sic cum distinctione Respondeo si superiori dæmoni præcipiat Adiurans, vt perfecte exeat cum omnibus satellitibus suis, licetum est tale præceptum: Quia tunc fit non solum ipsi, sed & satellitibus omnibus, & cohabitantibus. Si vero expulsionem præcipiat superiori dæmoni, & exeundo secum pellat quemcumque dæmonem inferiorem ibidem existentem, id non licebit. Quia illo modo præcipiendo, iussio non dirigitur in dæmones inferiores, sed in solum superiore, à quo petit auxilium ad illorum expulsionem, quod non licere ex dictis constat. Sic Palaus punct. ultimo numer. 10. Qui bene addit, tale præceptum superfluum esse: quia si virtus adiurationis efficax fuit ad pellendum superiore dæmonem, à fortiori inferiorem pellere poterit: nulla ergo necessitas est imperandi superiori, vt inferiorem expellat.

## QVÆSTIO LXV.

*An licitum sit Exorcistæ, præcipere dæmoni, ut  
abeat in infernum, vel in desertum ali-  
quod, ubi nequeat hominibus nocere?*

**R**espondeo ut certum: licitum esse id præci-  
pere, sed non absolute, sed sub conditione di-  
vini beneplaciti. Sic Deltrius lib. 6. *Magicar. disq.*  
*cap. 3. lit. B. in fine*, vbi sic ait: *Denique adiuratores  
iubent illum (id est, dæmonem) in certum locum pro-  
ficiisci, v.g. in infernum, quem ei Deus ab eterno prepa-  
rauit: vel desertum aliquod, ubi nequeat hominibus  
nocere. Hunc illi locum Exorcista tantum definit, sub  
spe diuina ratificationis: electionis enim habemus  
promissionem; exili⁹ illius exempla quedam; non tamen  
promissionem. Sic ille. Et Thyreus de *Demoniac. c. 46.*  
*num. 23. Sanchez lib. 2. cap. 42. num. 27. Palaus tom. 3.  
tract. 14. disp. 4. punc⁹. ultimo n. 12.**

## QVÆSTIO LXVI.

*An liceat Exorcistæ, annuere dæmoni offeren-  
ti egressum ex obſesso, dummodo non relegate  
eum in infernum, neve nouis cruciatibus  
affligatur?*

**R**espondeo esse licitum. Quia hæc petitionis  
acceptatio, nec Deo proximo iniuriam in-  
fert. Nec per illam Exorcista dæmoni aliquid tan-  
quam amico concedit, nec ei placare vult; sed so-  
lum intendit, quod facilius à corpore obſesso egre-  
di cogatur: ergo licet. Sic Thyreus *loc. citat. cap.*  
*ultimo à num. 1. Sanchez num. 36. Bonac. disp. 4. vbi  
de Luram. q. 1. punc⁹. ultimo n. 13. Palaus n. 14. Iodocus  
v. dæmones, n. 58. vers. Secundo.*

## QVÆSTIO LXVII.

*An etiam liceat Exorcistæ, annuere dæmoni  
offerenti egressum ex homine, si permittatur  
in alium hominem ingredi?*

**R**espondeo dicendum, quod liceat, ad minus  
concurrenti quaduplici conditione. *Prima* est, vt is, quem dæmon possessorus est, sit pes-  
simus, & eo suppicio dignus. *Secunda*, vt Adiu-  
rants habeat ius, & imperium in eum, quem dæ-  
moni traditurus est; atque potestatem in ipsum  
dæmonem, sumnumque ius ad ipsum expel-  
lendum, quandcumque libuerit. *Tertia* est, vt adsit  
majoris boni spes. Quia, scilicet, speratur fore, vt  
hac ratione proximus iuuetur; qui alii rationibus  
iuuari posse non videbarur. *Quarta* est, vt absit  
voluntas placendi dæmoni, sed id tantum fiat, ad  
vtendum ipso tanquam lictore & carnifice. Ratio  
st: quia, concurrentibus his conditionibus, dæ-  
mon rem de se honestam petit: ergo licitum est  
illi annuere. Sic Thyreus *cap. ultimo à numero octauo*  
*Sanchez numero 36. Palaus numero 13.* dicens,  
esse verissimam hanc sententiam; suppositis dictis  
conditionibus.

*R.P. Leand. in Decalogram.*

## QVÆSTIO LXVIII.

*An, seclusis illis quatuor conditionibus, adhuc  
liceat Exorcistæ, supradictæ pe-  
titioni dæmonis annuere?*

**A**ffirmandum videtur, casu, quo ingressus pe-  
titus à dæmonie in alium hominem, minus  
nocivus sit, quam possessio de praesenti habita:  
Quia ex duobus malis, minus est permettendum:  
ergo si ingressus petitus à dæmonie præsumatur  
non ita nocivus, ac est præsens possessio, licitum  
erit, permitti ingressum, quem postular, vt posses-  
sionem relinquat. In hanc partem inclinat valde  
Palaus *loc. cit.* cum respondeat multis argumentis  
in contrarium ab ipsomet confessis: non tamen  
audet illam docere, sed remittit de illa doctioribus  
iudicium.

Sed ego, vt fere certum Respondeo, Non licere  
Exorcistæ, seclusis conditionibus præfatis, dæmo-  
nis annuere petitioni. Quia vere est in proximi  
damnum: nec enim est id faciendum, etiamsi inde  
euenant bona. Sic Thyreus, & Sanchez, *vbi supra.*

## QVÆSTIO LXIX.

*An liceat Adiuranti interrogare dæmonem  
expellendum, ea omnia, quæ ad eius  
expulsionem conductunt?*

**R**espondeo tanquam certum: licere. Quia Ad-  
iurator habet facultatem imperandi dæmo-  
niis, vt exeant, & à nocendo desistant: ergo &  
ad ea, quæ ad hunc finem consequendum apta esse  
videntur. Sic communis. Siluest. *v. Adiuratio qu. 5.*  
*numer. 3. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 8. punc⁹. 2. vers. Ad*  
*secundum. Thyreus cap. 46. n. 23. Lessius lib. 1. c. 42.*  
*dub. 13. n. 71. Sanchez lib. 2. c. 42. n. 23. Palaus tom. 3.  
tract. 14. disp. 4. punc⁹. ultimo n. 5.*

## QVÆSTIO LXX.

*An liceat Adiuranti, Dæmoni præcipere, vt  
manifestet quod nomen habet: Quæ causa  
fuerit sui ingressus in hominem, & an ibi  
assisstant plures?*

**R**espondeo vt certum, non solum licere, sed  
& expedire. Debet enim interrogare nomen:  
vt adiuratio ad eum nominatum dirigatur, & ex-  
pulsio clarius eluceat. Exemplo Christi Domini  
interrogantis dæmonem: *Quod est tibi nomen  
Matth. 5. & Marci. 3.*

Deinde, causam ingressus in hominem; vt ea  
remota, si tolli possit, minor sit dæmonis in homi-  
nem potestas. Et si sit aliquod obſessi peccatum, vt  
aſtantes à ſimilibus caueant.

Rursus debet interrogare, an sit unus dæmon, vel  
plures in illo corpore; vt noscat Adiurator cum quot  
hostibus pugnet, & omnes à corpore exire præci-  
piat. Sic Deltrius lib. 6. *disq. 15. Mag. c. 2. sect. 3. q. 3. ver.*  
*Quartum est, & c. 3. lit. B. in fine, ibi:* *Perunt nomen  
dæmonis, quod Christi faciunt exemplo (Marci 3.  
& fieri solitum superius docui (nempe loc. citat.) &*  
*si hoc licet, cur etiam non liceat petere, vt socios in-  
dicent, vt sciamus cum quibus configendum? Petunt*

*causam ingressus, ut à similibus peccatis alij caueant, & eo vitato, vel expiato facilius sanetur Energumenus.* Sic Delrius. Silvester etiam v. Adiuratio qu. 5. num. 3. Thyreus de Dæmoniac. cap. 46. num. 23. Lessius lib. 2. cap. 44. dub. 13. num. 73. Sanchez lib. 2. Sum. cap. 42. num. 23. Palaus punct. 4. citat. numer. 5. Raphaël 2. 2. quest. 90. art. 2. Aduertentia 6. num. 11. & alij Sacerdotali Romano docentur Exorcistæ, hæc omnia interrogare.

## Quæstio LXXI.

*An sit etiam licitum Adiuranti, interrogare dæmones, alia, quæ viderit expedire ad eorum expulsionem?*

**R**espondeo, ut certum: Etiam esse illi licitum. Constat ex dictis. Et ideo licebit illi dæmonem interrogare: An ibi dæmon, vel dæmones sint ligati aliquo pacto, vel Maleficio; & quomodo illud possit destrui. Quis eorum sit princeps in illo corpore. Si talis persona sit verè vexata, & à quo tempore: Per quam personam sunt expellendi? Qui sunt magis inimici in cœlo? Sic Raph. loc. cit.

## Quæstio LXXII.

*An interrogare dæmonem ea, quæ sunt nocua, aut vana, & inutilia, quæque ad expulsionem non conducunt, sit peccatum?*

**R**espondeo, tunquam certum peccatum, saltem veniale semper esse & mortale si non semper, saltem multoties, ut infra Ratio est. Quia ad omnia dicta interroganda non est data Exorcistis facultas. In hoc conueniunt omnes Doctores, inter quos solum est difficultas, quando erit mortalis, quando venialis eiusmodi interrogatio. Pro quo decidendo sit,

## Quæstio LXXIII.

*An in aliquibus casibus peccatum mortale committat Exorcista, interrogando dæmonem aliqua, quæ ad expulsionem non conducant?*

**R**espondeo, tanquam certum. Committere. Et in pluribus. Primo, si interroget aliquid ex quo timeat, ut dæmon alicuius peccatum occultum detegat. Quia mortale est dare occasionem, ut proximus infametur. Sic Metina lib. 1. Sum. cap. 14. §. 2. fol. 78. vers. Pero preguntas. Sanchez lib. 2. c. 42. n. 23. Palaus n. 6. Bonac. mox citandus.

*Secundo* peccat mortaliter, si deprecative, & non imperatiue interroget. Quia interrogatio deprecative est signum amicitiae. Sic Silvest. v. Adiuratio q. 5. & 7. Armilla ibi, num. ultimo, Sanchez & Palaus loc. cit. Bonac. pun. ultimo cit. n. 9.

*Tertio*, si interroget, fine addiscendi aliquid à dæmone. Quia est honorare dæmonem, eum velle habere magistrum. Ultra quod, esset ab illo beneficium aliquid implorare, & expectare, quod est mortale. Sic Armilla, Sanchez, Bonac. Palaus citati.

*Quarto* peccat mortaliter Adiurator, si firmam, & certam fidem dæmonis responsis concedat. Quia licet dæmoni fides præstari possit in iis, quæ exor-

cismis Ecclesiæ coactus manifestat: at nō in iis, quæ ipse sponte dicit: Quia id esset valde honorare dæmonem, & interroganti valde pericolosum. Sic Silvest. Armilla, Sanchez, Bonac. & Palaus citati. Raphaël loc. cit. Aduertentia 6. pag. 843.

*Quinto* peccat mortaliter, si longos sermones, & si vanarum rerum, cum dæmonie commisceat. Tum quia verè est signum amicitiae, absque necessitate cum dæmonie longos miscere sermones. Tum etiam; quia adeat periculum, quod dæmon iis in interrogationibus aliquos errores misceat. Sic Sotus libro 8. de iust. questio. 3. artic. 2. Sanchez, Bonac. & Palaus loc. citatis.

## Quæstio LXXIV.

*An etiam peccet mortaliter Exorcizans, si ex leuitate, & curiositate, vnam vel alteram rem vanam petat, aut interroget; non deprecando, vel imperando; neque fidem certam dæmoni adhibendo?*

**A**ffirmat adhuc in hoc casu peccare mortaliter, Palaus to. 3. tr. 14. disp. 4. de Adiurat. pun. ultimo num. 8. dicens; verius esse, per se loquendo, quamlibet interrogationem, quæ ad expulsionem non conductit, quamlibetque petitionem vani operis praestandi, mortale peccatum esse. Probat: Quia Exorcizans id non potest petere imperio; cum non habeat potestatem compellendi dæmones hoc præstat: ergo solum potest petere deprecatione: atqui petere aliud à dæmonie deprecando, semper est mortale, ut nuper est habitum: ergo.

Sed probabilius multo, Respondeo. Primo sic. Minime peccat mortaliter Exorcizans, qui ex leuitate, & curiositate quadam vnam, vel alteram rem vanam dæmonem in obsecro existentem interrogat, non deprecative, sed imperatiue, nec fidem ei dando. Quia hoc modo interrogare vnam aut alteram rem, profecto non est quid graue, cum non sit signum benevolentiae, aut amicitiae cum dæmonie. Sic optime Silvest. quest. 5. cit. in fine his verbis: Si autem Exorcizator imperet dæmoni, ut dicat curiosa, & nihil ad expulsionem facientia, non quia illi credat, sed quadam leuitate, & curiositate ductus, est peccatum graue, licet illud non videam mortale: Quia non videretur mortale, nisi cum quis adiurat obsecratione, aut ad aliquod consequendum, puta obsequium, vel notitiam, quod iste non facit, qui ei non credit: quod si ei crederet, ut Nicromantici, credo esse mortale, quia pertinet ad amicitiam. Sic ille. Caietanus etiam 2. 2. qu. 90. art. 1. fine, & in Summ. v. Interrogatio. vers. Sextum est. Armilla v. Adiuratio. num. ultimo. Nauarrus in Summa cap. 11. (non 12. vt leges apud Palaum) num. 28. Sotus lib. 8. de Iust. quest. 3. art. 2. ad 2. Valentia 2. 2. disp. 6. quest. 8. pun. 2. vers. Ad tertium Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de Adiurat. cap. 2. numer. 9. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 13. num. 71. Sanchez lib. 2. cap. 42. num. 25. Bonac. tom. 2. disp. 4. quest. 1. punct. ultimo num. 9. Tullench. lib. 1. in Decalog. cap. 10. dub. 14. num. 9. Lupus in edit. Inquisit. 3. p. lib. 22. dist. 4. art. 2. diff. 3.

Respondeo, secundo. Nec peccat mortaliter Exorcista, qui efficit, ut dæmon in obsecro existens, aliquid vanum faciat, ut quod moueat lapidem; dummodo id non petat deprecative à dæmonie, sed imperatiue. Quia ex imperfectione actus, non excedit veniale. Sic Caiet. art. 1. cit. Tabiena v. Inuocatio. num. 2. quest. 1. (non Armilla vt citat Palaus, & Sanchez

Sanchez loc.cit. n.25. fine. Nec obstat fundamen-tum Castri Palao. Negandum enim est, non posse dæmonem interrogare, aut ab eo petere aliquid, nisi precando, ( si enim hoc esset verum, vera esset apud omnes sua sententia ) potest certe & præcipiendo, & cogendo.

## Q V A E S T I O LXXV.

*An sit Exorcistis illicitum, cum dæmone iocari, nugaciave miscere?*

**R**espondeo tanquam certum: Esse illicitum illis. Quia cum sancta res sit dæmones eiicere, sancte tractanda est. Sic Delrius lib.6. Mag. disquis. cap.2. sect.3. q.2. in 4. remedio, ubi refert graue supplicium Dei, quod Exorcistæ cuidam cum dæmonie nuganti contigit, his verbis: *Vidi ( inquit Niderius in Formicario) in conuentu Colonensis fratrem, verbis satis ioco sum, sed in gratia expellendi dæmones valde famosum. Hic cum in terminis conuentus Colonensis dæmonem in obfesso corpore arctaret: dæmon petivit à fratre locum recedendi: quo gauisus frater ait in ioco: In cloacam meam vadas. Exiit igitur dæmon, & nocte cum frater ventrem purgare vellet, dæmon tam dirè eum torcit prope cloacam, ut vitam cum difficultate saluaret.* Sic Deltius. Et ex illo, non ita verbaliter, Philibertus de Ordine tractat. 2. par.4. cap.11. numer.2. & 3. Sanchez lib.2. sum. capit.42. num.26.

## Q V A E S T I O LXXVI.

*An, licitum sit Exorcistis, petere à dæmone signum aliquod sui è corpore egressus; ut v. g. quod extinguat lucernam, vel vitrum frangat?*

**N**egant aperte aliqui Doctores, existimantes id esse omnino illicitū & superstitionem exorcistis. Quia potestas à Christo Domino data exorcistis est ad pellendos dæmones: atqui illud signum iam supponit expulsionem: ergo superflue peritur ab Exorcista. Ita tenent Ciruelo de superst. 3. p. c. 8. & Sotus de inst. lib. 8. q. 3. art. 2. circa solutionem ad 2. versic. Primo argumento subnotantur. Vbi hæc ait: *Quocirca superstitionisimum, neque ullo modo ferendum est, petere à dæmonibus signum in testimonium loci unde venit, aut quod nunquam in hominem, à quo expellitur, renervatur. Est enim mendax, & pater mendacij. Et ideo, neque illi, neque suis signis, & testimoniosis illa est adhibenda fides: sed solum virtute Dei repellendi sunt.* Hæc Sotus.

Sed vt certum: Respondeo licitum esse Exorcistis petere à dæmone signum sui egressus. Primo: quia in Sacerdotali Romano instruitur exorcista, ut hoc signum perat: ergo licitum est illud petere. Secundo quia quamvis hoc signum fallax esse possit, vt ait Sotus, at hæc fallacia raro contingit, cum in eius expostulatione serueretur modus ab Ecclesia prescriptus. Et licet expulsioni absolute non conductac, conducit tamen ut nobis expulsio innoteat: Credendum autem est, Christum Dominum reliquise Ecclesiæ suæ potestatem ad manifestam dæmonis expulsionem, & consequenter ad petendum signum, quo expulsio manifestetur. Sic omnino Palaus loc. cit. n. 11. Et antea Thyreus de Dæmoniac. cap.46. n. 23. & cap.52. n. 4. Deltius lib.6. c. 3. lit. B.

in fine. Sanchez lib.2. cap.42. n. 28. Bonac. disp. 4. cit. punct. ultimo n. 14. Trullench. lib. 1. in Decal. c. 10. dub. 14. num. 10. Qui tamen bene notant, ex hac signi traditione non astringi dæmonem ad non redeundum: vnde si non redeat, est quia non vult, aut ex alia aliqua causa eum cogenti.

## Q V A E S T I O LXXVII.

*An sit licitum Adiuratori, Energumenum vexare flagellis, & alapis, sputis, & similibus?*

**N**egat Simancas de Catholic. infit. tit.6. 3. n. 32. dicens Errare eos, qui homines à dæmonibus obsessos flagellant, & alapis cedunt: nam dæmonia ( inquit ) fingunt se dolere, aut affligi, ut fatuos decipiant, & ut corpora illa torqueantur. Ita ille: ex Bartholomæo de Sibylla, lib. peregrinar. quest. Decadis. 3. q. 2. Quibus fauet Delrius lib.2. q. 30. sect. 3.

Alij è contra absolute affirmant, esse omnino licitum. Primo: quia sic fecere multi Sancti. Non D. Bernardus pede aliquando conculcauit obfessum, ut habetur in eius vita lib. 2. cap. 4. D. Benedictus, & S. Hurbertus, alapis inflictis quosdam liberarunt obfessos. Ut de illo narrat D. Gregor. 2. Dialog. c. 30. & de hoc Surius in eius vita, tertio Nonembri: & Theodorus Archimandrita obfessam post flagella per comam apprehendit, & Cruce facta dæmonem fugavit: ut habet Metaphrastes in eius vita: ergo hæc omnia licita sunt.

Secundo probatur. Quia hæc omnia multum videntur prodesse ad dæmonum expulsionem. Tum quia per ea dæmones nimis confunduntur, dum vident superbissimi, ut serui inferioris nota tractari in sui contemptum. Tum etiam quia corpora flagellata non reputant sibi gratas mansiones, ob idque interdum deserunt. Sic Thyreus cap.46. num. 31. & alij.

Sed clarius ego Respondeo dicendum, Primo. Minime est licitum Adiuratori, Energumenum vexare flagellis, alapis, & sputis si hæc faciat existimandoea habere virtutem aliquath ad directe dæmones expellendos, aut affligendos. Quia id esse superstitionem, constat ex eo quod nulla res corporalis habet vim ad expellendos dæmones qui spiritus sunt. In hoc conueniant Authores vtriusque sententiae imo & omnes.

Respondeo: secundo. Licitum est Adiuratori exercere dictas actiones in dæmonacum, & obfessum ad confusionem dæmonis, & in ipsius contemptum, & contumeliam, ut vel sic, se contemni in eo domicilio minime patiens, illud deserat. Hanc responsionem probant adducta pro secunda sententia. Quam sic intellectam tuerint Sanchez loc. cit. n. 30. ex Philiacho de offic. Sacerdotis 10. 1. par. 2. lib. 3. c. 11. Trullench dub. 14. cit. n. 11. Bonac. punct. ultim. cit. n. 14. Palaus n. 15. Raphael 2. 2. q. 90. art. 2. Aduertentia 14. n. 26. pag. 849. & alij.

Aduerte tamen cum Sanchez, *Quod alia ratione posset Exorcista peccare, si imprudenter se gereret, percutiendo grauiter dæmoniacum. Cum enim omnia dicta in solam dæmonis contumeliam fiant, & non quasi corporaliter affigentia, satis est, si moderata sint.* Sic ille. Et omnes.

## Quæstio LXXVII.

An item licitum sit adiuratori, fumo hypericis, ruta, & cornuum, stercorisque Capri- ni vexare Dæmoniacum?

**N**egant Simancas, Delrius, & Ciruelo supra allegati, eo quod esse quid superstitionis, putent. His fauet Raphael loc. cit. aduert. 5. vbi ait, nec laudare, nec reprobare hanc actionem.

Sed iuxta nuper dicta, respondeo dicendum, licitum omnino esse illi, si predicta applicet dæmoniaco, ad confundendum dæmonem, & in illius confusionem: non quasi habentia virtutem ad pellendum illum. Sic Authores nuper pro nostra sententia adducti. Et loquendo specialiter de ruta id docet Lupus in editum S. Inquis. par. 3. lib. 22. dist. 4. art. 1. diff. 4. sic dicens: *Adiurans vel adhibet rutam in contemptum dæmonis, ut inde arripiat confusionem, occasionemque exeundi ab obsesto, vel illam adhibet credendo eam vim naturalem habere ad ipsum fugandum: primo modo non peccat, tum ob bonum finem &c. tum, quia dicta herba ob suam amaritudinem designat mysterium amare Christi passionis, ex quo ipsi grauissima confusio fuit, &c.* Secundo modo illam adhibere peccaret adiurans, nisi excusaret ignorantia, aut bona fides, &c. ita ille.

## Quæstio LXXIX.

An sint aliquæ rationes, seu cause, quare ruta à dæmonie abominetur, ab illa longe fugiendo?

**R**espondeo esse aliquas. Prima, quia, vt nuper diximus, ob suam amaritudinem designat amaritudinem Passionis Christi, qua victus, & ligatus fuit, vt non possit in nostrum damnum, quod ante Passionem Christi poterat.

Secunda. Quia ruta luxuriæ (cuius dæmon maxime se complacet, ob graue damnum, quod homini affert) est vtcumque contraria ratione sue frigiditatis, ardorem illius extinguendo, vel saltem diminuendo.

Tertia est, quia itidem ratione sue frigiditatis, serpentes è suis locis naturaliter expellit. Nam ipsi, vt pote frigidi, querunt loca calida: dæmon autem in Sacra scriptura vocatur serpens, & ideo illam fugit. Sic Lupus lib. 22. citat. dist. 2. artic. 2. differ. 3.

## Quæstio LXXX.

An sit superstitionis applicare aliquas herbas medicinales, aut alia medicamenta dæmoniacis?

**R**espondeo tanquam certum: Non esse superstitionis, sed licitum. Quia etsi res corporales, vt habitum est, directe & proxime nil operentur in dæmonie: at possunt operari indirecte, & mediate, iuando, vt eius vexationes placentur. Quippe auferre possunt dispositiones illas corporis quibus dæmon vtitor ad vexandum. Poterit igitur licite Exorcista applicare, ob hunc finem, obsesto aliqua medicamenta, aut, vt melius dicam, mone-

re Medicum vt illas applicet, quia cum Exorcista medicandæ artis ignarus sit, poterit facile errare. Sic communis apud Sanchez lib. 2. cap. 42. num. 10. & 31. Lupus in edit. S. Inquis. 3. p. lib. 22. dist. 2. artic. 2. diff. 1. & 2. Bonac. punct. vlt. cit. num. 12. Palaus tom. 3. tract. 14. disput. 4. punct. vlt. num. 16. lege Raphaëlem 2. 2. q. 90. art. 2. aduert. 4. pag. 842. vbi multa de hac re.

## Quæstio LXXXI.

An ad minus, sit superstitionis, & illicitum, precipere dæmoni, sub pena excommunicationis, ut ab obsesto exeat?

**N**egandum videtur. Quia expressè in Sacerdotali Romano instruitur Exorcista, vt ad pellendum dæmonem excommunicatione vtatur: ergo ad hunc finem illa vti, nec superstitionis, nec illicitum erit.

Sed tanquam certum, respondeo superstitionis, & illicitum esse. Quia dæmones, cum sint extra Ecclesiam nulantem, incapaces sunt Ecclesiasticae censuræ. De his enim, quæ foris sunt, nihil ad nos, cap. Gaudemus. de diuort. seu Consor. Nec Sacerdotale Romanum est in oppositum: nam loc. cit. non sumit excommunicationē propriè; sed prout idem est, ac execratio, aut maledictio: vt bene notaue Suarez 5. tomo in 3. p. disp. 5. sect. 1. & hoc modo id licitum est. Sic ipse & Sanchez cap. 42. cit. nu. 32. Lupus lib. 22. cit. dist. 4. art. 1. diff. 3. Raphael 2. 2. q. 90. art. 2. Aduertentia 7. n. 15. pag. 844. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 14. n. 12. Philibertus de Ordine tract. 2. p. 4. c. 11. n. 4. Nauar. in sum. cap. 27. n. 13. & lib. 5. consil. 5. de sent. excomm.

## Quæstio LXXXII.

An saltem sit licitum Exorcista, precipere dæmoni; ut ab homine obsesto exeat, sub pena immersionis in stagnū ignis per annos mille?

**N**egat Raphaël de la Torre n. 15. cit. vbi ita ait: Secunda vero pena de immersione in stagnum ignis, & sulphuris per annos mille: verba sunt de prompta ex cap. 20. Apocalypsis, vbi sic dicitur: *Et vidi Angelum descendente de celo habentem claves Abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui vocatur Diabolus, & Sarthanas, & ligavit eum per annos mille. Et circa finem capitidis: Infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis. Quæ verba intelligenda sunt de Christo mittente in Abyssum principem dæmoniorum, vt ex Gregorio, & Augustino, interpretatur Frā: scus à Riera super eum locum. Sed inde non colligitur Exorcistas eam habere potestatem erga dæmones obserentes. Fortasse poterunt relegare in desertum, sicut Tobie 8. narratur de dæmonie Asmodeo ligato ab Angelo Raphaële in deserto Egypti: similiter & eiicere extra Regionem. Sed includere in Abyssum, pertinuit ad Christum, propter potestatem excellentiæ que data est ei in celo & in terra. Hæc Raphaël.*

Sed, vt certum respondeo: Esse omnino licitum, dummodo Exorcista id absolute non faciat, sed sub conditione diuini beneplaciti; vt constat ex dictis supra q. 65. Sic Authores ibidem citati.

## QVÆSTIO LXXXIII.

An item sit licitum Adiurati, nomen dæmonis in aliqua papyro scribere, illudque comburere?

**R**Espondeo, ut quid certum: Etiam esse licitum. Quia sit in contumeliam, & contemptū ipsius dæmonis. Et ita fieri debere in Sacerdotali Romano habetur. Sic Philiarcus de offic. Sacerdotis to. 1. par. 2. lib. 3. c. 11. Sanchez c. 42. n. 33. Trullench. cap. 10. cit. dub. 14. n. 12. Qui secus dicunt, de actione radendi pilos, aut capillos dæmoniaci, ad expulsionem dæmonis: quia superstitionis est omnino, ac vana, ut ait etiam Lupus lib. 22. dist. 4. diff. 1.

## QVÆSTIO LXXXIV.

An integrum sit, ac licitum Exorcistæ, ut terminis iudicariis, præcipiendo dæmoni, ut nunc exeat, & iterum tali die se iudicio sis stat ad reddendam rationem, cur tale corpus obsederit?

**R**Espondeo, tanquam certum: Nec integrum, nec licitum esse illi. Quia Exorcista non est Iudex dæmonis: ergo nequit cum illo criminaliter agere. Sic Delrius, post lib. 6. in Anacephalœsi monit. 10. Sanchez loc. cit. num. 34. Trullench. num. 12. cit. Philibertus etiam num. 4.

## QVÆSTIO LXXXV.

An si conueniens, quod Exorcistæ imponant aliqua nomina irrisiva dæmonibus obfidentibus, ut illis irritati desinant à nocendo, & fugiant?

**A**ffirmant aliquorum Exorcistarum usus, eo quod iis nominibus irritati dæmones, facile deserunt eorum domicilia, desinuntque nocere obfessis.

Sed oppositum Respondeo, dicendum, quod minime sit conueniens. Sic Raphaël, his verbis: *Vnum non concesserim contra quosdam afferentes dæmonibus esse imponenda nomina irrisiva; ut si unus vocetur, stabularius; alter, pistor Beelzebub; alius coquus Acherrontis, & familia epitheta, ut confusi discedant. Credo tamen his ludicris epithetis, potius detineri dæmones, quam expelli: quoniam his auditis, adstantes in risum conviuntur, & spectaculum lacrymis dignum, & ad compunctionem, & orationem provocatum, fit occasio iocorum, ac cachinnorum, quod valde amant dæmones, & non solet feliciter cedere Exorcistis his facetus, ut narrat Ioan. Nider in formicario c. 11. Nec unquam legimus his epithetis facetosis sanctos in expulsione dæmonum esse usos. Verbis durioribus, sed grauis, eos increpart. Sanctus Bernardus appellabat bestiam cruentam. Alij draconem, serpentem, furem, &c. Sic Raphaël 2. 2. q. 9. o. art. 2. Aduertentia 8. n. 16. & 17. pag. 845. Quæ doctrina ex mox dicendis amplius roborabitur. Sit ergo,*

## QVÆSTIO LXXXVI.

An modus adiurandi dæmones, debeat esse durus, & vehemens, & nullatenus amicus?

**R**Espondeo, Affirmative. Quia sic faciendo sequitur Adiurator exemplum Christi Domini, Apo-

stolorum eius, & aliorum Sanctorum. De Christo namque dicitur Matth. 7. Et increpanit illum, (idest, dæmonem) Iesus, & Marci 9. Comminatus est spiritui immundo dicens; Surde, & muta Spiritus, ego præcipio tibi, ut exeras ab eo. Et Paulus Apostolus adiurans quemdam spiritum nequam dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu, exire ab eo. Acto. 16. Et sic fecerunt alij sancti, & constat ex nuper dictis. Et certe ratio ipsa suffragatur: quia ad exitiales humani generis hostes, quomodo debet esse mitis, & amabilis sermo. Sic Raphaël loc. cit.

## QVÆSTIO LXXXVII.

An possit Exorcista adiurare dæmoniacum in domibus priuatis?

**R**Espondeo, Non posse seu ut mitius dicam, non debere, nisi vrgeat magna necessitas. Quia locus proprius & magis congruus est Ecclesia, ubi sunt Sanctorum Reliquiae, Cruces, imagines, quæ omnia exosa sunt dæmonibus, & quæ horrescant, maxime Sacram Eucharistiam, sic ex factis D. Bernardi, & dictis D. Chrysost. docet Raphaël. Aduertentia 12. n. 23. Qui loquens de tempore exorcizandi, addit, omne esse opportunum, sed magis, summo mane post Missam.

## QVÆSTIO LXXXVIII.

An obfessi sint Exorcizandi ianuis Ecclesiæ apertis?

**A**ffirmavit Hieronymus Mengus, in Flagello Dæmonum docum. 4. docens publice, & ianuis apertis esse exorcizandos. Primo, quia sic fecit Christus, qui præsente turba dæmoniacos sanabat. Matt. 17. Marci 9. & Luce 11. Secundo. Quia ex publica adiuratione multa bona proueniunt: ibi namque nequitia dæmonum inspicitur, & ipse odio habetur: fides roboratur; Dei misericordia, & potestas manifestatur, saepe homines impij convertuntur, & multa alia bona inde possunt prouenire: ergo non debent impediri.

Sed probabilius Respondeo, securius esse exorcizare obfessos, ianuis clausis, admissis tamen aliquibus personis, pii, & deuotis. Ratio est. Quia dæmones valde cupiunt numerosum auditorum habere, ut ipsis multa vana, & plura mendacia, ac subtiles deceptions, miscendo falsa quedam multis veris, effutiant, ac quædam superstitionis, sub prætextu deuotionis, ac pietatis persuadeant: insuper occulta crimina in proximorum iniuriam reuelent. Rursus conantur cognitiones prauas excitare, singunt quosdam ex aditantibus metuere tanquam sanctitate pollentes, ut vanæ gloriæ crimen incurvant, &c. ergo vitanda sunt omnia hæc ab Adiuratore non exorcizando dæmoniacos publicè.

Nec obstat argumentum sumptum ex factis Christi (imò & aliorum Sanctorum) quia Christus Dominus per virtutem Excellentiae omnibus istis incommodis obviare poterat, alligando dæmones, ne in auditorum virus aliquod euomeret (quod idem poterant alij sancti ob copiosam ab eodem Christo Domino acceptam gratiam) quod negandum est aliis, regulariter loquendo, Exorcistis. Sic Ciruelo de superst. par. 3. cap. 8. Raphaël loc. cit. Aduert. 13. & amplius ex dicendis, quæf. 90. id constabit.

## QVÆSTIO LXXXIX.

*An deceat, ut mulieres coniurationibus obsessorum intersint?*

**N**Egat Raph. de la Torre, loco riuper citato, Tum, quia mulieres cum prona sint ad credulitatem & perfidiam, facile erit, ut dictis dæmonum fidem adhibeant, & decipientur. Tum etiam, ne paurore terribilis spectaculi confernata, animæ deliquum patiantur, aut (quod aliquando evenit) morbo caduco, aut dæmonis ingressu corripiantur. Ita ille.

Sed clarius, Respondeo. Non decere quidem, ut intersint, si qui exorcizandi sint, viri sint, non mulieres, nam harum coniurationibus interesse, potius mulieres, quam viri, ex se constat, & ex maxicendis amplius constabit. Nec timenda sunt inconuenientia à Raphaële adducta; eo quod non mulieres quæcumque, sed matronæ prudentes, & virtuosæ adfistere debeat.

## QVÆSTIO XC.

*An Energumena Monialis debeat intra septa monasterij Exorcizari?*

**N**Egat Barbosa in Collectan. Apostolicar. decis. collect. 509. num. 5. vbi sic ait: *Monialis nulla energumena intra monasterij septa à quocumque Presbytero seculari, etiam Confessario, exorcizetur; sed ad Ecclesiam exteriorem eiusdem monasterij, obtenta prius à Sacra Congreg. licentia, ea de causa deducatur, vel transferatur. In translatione autem huiusmodi, sicut & in actu exorcizationis, honesta personæ consanguineæ, vel alia mulieres proiectæ atatis ac probæ conuersationis Energumenam comitantur. Exorcista sit ad actum huiusmodi ab Ordinario approbatus: Exorcizatio minori, quo poterit, fiat strepitu, Ecclesie ianua, eo usque occlusa remaneat, quo usque, Exorcizazione completa, ad monasterium Energumena reducatur.* Ita ille, adducens quandam Congregatiōnēm Concilij ex Lezana to. 3. verb. *Clausura, n. 28.*

Sed in oppositum extat usus receptus in Hispania, vbi, quando casus occurrit, semper intra septa Monasterij, de licentia Ordinarij, Monialis Exorcizatur. Vnde credo, quod illud à Sacra Congreg. decretum, solum fuerit editum pro Italia.

## QVÆSTIO XCI.

*An sit decens, quod Exorcizator, tempore Exorcizationis, solus cum dæmoniaco permaneat?*

**R**Espondeo, Quod minime, præcipue si vexata persona sit femina. *Tum quia (ait Raphel) dæmones obsidentes solent sic efferare obsessos, ut nisi adsint, qui vexatos teneant, ac manibus apprehensor*

*defineant, maxima cum difficultate admirari poterunt. Tum, quia inter ministrum & obsessum possit oriri aliquod scandolum à dæmonе ferociente. Tum tertio, quia quando adsunt persone devote orantes pro dæmoniaco facilius dæmones cedant. Quod si vexata persona femina sit, & non usque adeo annosa, multo minus Exorcista solus cum illa permanere debet, neque in domibus priuatis, neque in Ecclesia, ne sibi periculum anime, aut fama concilient. Hæc ille Aduertentia 13. citata. Et bene.*

## QVÆSTIO XCII.

*An sint aliqua signa ingressus dæmonum in hominem?*

**R**Espondeo, Ese aliqua. Quia licet possint in hominem inuisibiliter ingredi tanquam spiritus, vt supra diximus, solent tamen aliquando signa sui aduentus ostendere, ex iussione Dei communiter.

*Primum signum est, aliqua forma externa hominis nigri, ac trucis, vel defuncti alicuius. Item bestię alicuius, vt hirci, aut nigri canis, &c. Secundum est; Turbo, seu ventus, ac strepitus insoliti. Tertium, infestationes, quas faciunt obsidentes, impingentes eis colaphos, trahentes eos, vel proicientes, aut præcipitantes. Quartum species horribiles, quas insgerunt somniantibus, vt dum somniant se à dæmonibus vexari, affligi, & occidi, &c. Sic ex Thyreo cap. 11. & ex Sacerdotali Romano docet Iodocus, verb. *Dæmones num. 33.**

## QVÆSTIO XCIII.

*An etiam dentur aliqua signa discessus dæmonum, & omnimoda liberationis obsessorum?*

**R**Espondeo, Esse etiam aliqua signa discessus. *Primum, Clamores insoliti & belluarum voces, sunt signa discessus, maximè requie, ac quiete obsesso superueniente. Secundo, manifestant suum egressum, discessu quorundam animalium turpium, vt formicarum, aranearum, muscatum, aut draconis, &c. Tertio pandunt suum discessum, per vomitum ingentem rerum putridarum; aut per foetorem grauem, quem exhalant obsessi. Hæc & alia sunt signa, sed non infallibilia, quia multoties ea edunt dæmones, ipsis autem permanentibus in obsesso.*

*Vnde potissimum signum discessus dæmonis erit, si examinatis obsessis, nullum signum eorum, quæ supra diximus, indicare inhabitare dæmones, appareat. Deinde, si obsessi nullam se pati molestiam eorum, quæ antea patiebantur, affirment. Sic Raph. loco citato Aduertentia 17. n. 30. & 31. Et hæc sufficiant circa primum Decalogi præceptum. Ad Laudem, & Gloriam SS. & Individuæ Trinitatis, necnon Beatissimæ Virginis Mariae Conceptæ absque labore originalis, & Beatiss. Patriarcharum, Ioannis, de Mata, & Felicis de Valois.*



# INDEX

## RERVM ET VERBORVM

### Notabilium, quæ in hac sexta parte continentur.

Prior numerus Paginam, posterior Quæstionem denotat.

#### A

##### Adiuratio.

-  V id sit Adiuratio. pag. 388. q. 1.  
Quotuplex sit Adiuratio. ibid. q. 2  
An, vt adiuratio licita sit, requirat eosdem tres comites, quos iuramentum requirit, nempe veritatem, iustitiam, & iudicium. p. 389. q. 3  
An, qui adiuraret Deum, ad rem aliquam illicitam obtinendam, peccaret mortaliter. ibidem. quæst. 6  
An adiuratio sit actus virtutis religionis. ibidem. quæst. 7  
An, adiuratio differat ad oratione. ibid. q. 8  
An, adiuratio, etiam à iuramento differat. ibidem. quæst. 9  
An in omni iuramento promissorio inueniatur adiuratio. p. 390. q. 10  
An, Adiurationis sit aliquod præceptum diuinum, naturale, aut Ecclesiasticum. ibid. q. 11  
An, cuilibet licitum sit deprecatiè adiurare aliquem per Deum, Sanctos, aut aliquam personam. ibid. q. 12  
An, adiuratus deprecatiè per Deum, teneatur sub præcepto obedire adiurationi, aut adiuranti. p. 390. q. 13  
An subditus peccet mortaliter contraveniens sui superioris præcepto, sibi per adiurationem imposito. ibid. q. 15  
An licitum sit cuilibet superiori adiurare imperatiè, aut coactiè suos subditos. ibid. q. 14  
An subditus transgrediens superioris præceptum, sibi per adiurationem impositum, sit non solum transgressor præcepti, sed etiam periurus. ibidem. quæst. 16  
An ex superioris transgressione præcepti, adiuratio ne vestiti consurgat duplex peccatum. pag. 391. quæst. 17  
Ad adiurans imperatiè eum in quem nullam habet potestatem, peccatum mortale admittat. ibid. quæst. 18  
Adiurare potest omnis creatura intellectualis vel rationalis. ibid. q. 19  
Non omnes creature rationales possunt solemniter adiurare. ibid. q. 20  
An quisque possit se adiurare. ibid. q. 21  
Deus ab homine an possit licite adiurari. ibid. q. 22

- An angeli sancti possint à nobis licite adiurari ac sancte. ibid. quæst. 23. Et an homines. ibid.  
Dæmones, & alij damnati possunt licite & sancte adiurari. p. 392. q. 24  
An creature insensibiles irrationalis adiurari, proprie possint. ibid. quæst. 26. quid item sensibiles. ibid. q. 25  
Superstitiosum est locutam & quid huiusmodi adiurare, & in iudicium euocare. p. 393. quæst. 27.  
& quæst. 28  
An liceat Adiuranti, petere à dæmone superiori, vt inferiorem è corpore pellat. p. 400. q. 62  
An licitum sit adiuranti, præcipere dæmoni superiori v.g. Lucifer existenti in inferno; vt dæmonem inferiorem residentem in aliquo homine pellat. ibid. q. 63  
An liceat Adiuranti, præcipere dæmoni superiori simul cum aliis inferioribus hominem obsidenti; vt exeat, & secum pellat inferiores alios. ibid. q. 64  
An liceat adiuranti, interrogare dæmonem expellendum, ea omnia, quæ ad eius expulsionem conducunt. p. 401. q. 69  
An liceat adiuranti, dæmoni præcipere vt manifestet, quod nomen habet: Quæ causa fuerit sui ingressus in hominem: & an ibi assistant plures. ibid. q. 70  
An sit licitum Adiuratori, Energumenum vexare flagellis, & alapis, spulis, & similibus. pag. 403. quæst. 77  
Fas est adiuratori, fumo hypericinis, rutæ & cornuum, stercorisque caprini, vexare dæmoniacum. p. 404. q. 78  
Licitum est adiuratori, nomen dæmonis, in aliquâ chartâ scribere, illudque comburere. pag. 405. quæst. 83  
Modus adiurandi dæmones, debet esse durus, & vehementes, nullatenus amicus. p. 406. q. 86

##### Adoratio.

- Quid vox *Adoratio* significat. p. 153. q. 1  
Quanam ratione, Adoratio definitur. ibidem. quæst. 2  
Quotuplex est Adoratio. ibid. q. 3  
An, omnis externa adoratio, sit per se adiaphora, seu indifferens, vt possit, tam Deo, quam creaturis exhiberi. p. 154. q. 4  
An Adoratio, à tribus Theologicis virtutibus distinguatur:

# Index Rerum,

- stingatur. ibid.q.5  
 An , detur præceptum colendi; & adorandi Deum. ibid.q.6  
 An , præceptum negatiuum, non adorandi Deum. alienum; obliget semper, & pro semper. p.155.q.8  
 An , præceptum affirmatiuum diuinum, & naturale adorandi Deum; obliget indirecte, in aliquo determinato tempore. ibid.q.9  
 An , præceptum naturale, & diuinum, colendi, & adorandi Deum, etiam obliget directe, & per se, pro aliquo determinato tempore. ibidem.  
quæst.10  
 An detur præceptum Ecclesiasticum, adorandi Deum publicè; & pro tempore obliget; & quibus actionibus impleatur. ibid.q.13  
 Quo tempore obliget directe, & per se, præceptum colendi, & adorandi Deum. ibid.q.11  
 An , colendi & adorandi Deum præcepto, possit fieri satis, exercitio actuum virtutum Fidei, Spei, & Charitatis. ibid.q.12  
 Nullus datur locus determinatus, diuino, aut naturali iuri, in quo homines Deum adorare debeant, & teneantur. p.156.q.14  
 Locus assignatur aliquis, iure Ecclesiastico, in quo homines Deum adorare debeant. ibidem.  
quæst.15  
 Nunc melius Deum, versus orientem adoramus, oramusque; quam olim versus occidentem Iudei orabant. ibid.q.16  
 Deus solus, primo & per se, & ratione sui, per latram, id est per adorationem supremam, adorandus est. ibid.q.17  
 Una persona SS. Trinitatis, potest distinctè ab aliis adorari. ibid.q.18  
 Christus, Deus, & homo est per se, & ratione sui adorandus, adoratione latræ. ibid.q.19  
 Humanitas Christi prout coniuncta est diuino verbo debet adorari eadem latrâ quam adoratur ipsum verbum. ibid.q.20  
 Humanitas Christi prout consideratur in nuda naturâ, per se, seu abstracta ab hypostasi, non est adoranda latrâ. p.157.q.21  
 Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ratione sui adorandum est per latram. ibid.q.22  
 Eucharistiae Sacramentum, potest absolute adorari per latram, nullâ additâ ratione. ibid.q.23  
 An , caro, & sanguis, qui aliquando miraculosè in speciebus Saceræ Eucharistiae appetit, sit adoratione latræ adorandus. ibid.q.24  
 In triduo mortis Christi, potest eius corpus per latram adorari. p.158.q.25  
 Sanguis Christi, in triduo eiusdem mortis, an adorari per latram debet. ibid.q.26  
 Omnes res inanimatæ, quæ Christum dominum ignominiosè tetigerunt, ut impia manus, alapæ, infligentium, flagellantum, & crucifigentium Christum non sunt adorandæ latrâ. ibidem.  
quæst.28  
 Non sunt adorandæ latrâ res inanimatæ, quæ Christum, piè, & religiosè tetigerunt; vt Apostoli, &c. ibid.q.29  
 An , Beatis. Virgo, possit adorari per latram, ratione coniunctionis cum Christo eius filio. ibid.  
quæst.30  
 Angeli sancti possunt & debent adorari. pag.160.  
quæst.1  
 Homo, prout est ad imaginem Dei factus; non debet latrâ adorari. ibid.q.34  
 Nomina Sacra Dei, seu Iesu Christi, aut Mariæ,
- &c. sunt verè, & propriè adoranda. ibid.q.35  
 Adoratio potest exhiberi hominibus sanctis canonizatis. p.161.q.2  
 Adoratio plus quam ciuilis debetur Sanctis Angelis, & hominibus Canonizatis. ibid.q.3  
 An adoratio sanctis debita, ad virtutem religionis pertineat. ibid.q.4  
 An, Imagines Dei, & Christi Domini, & Sanctorum, sint adoranda. p.188.q.6  
 An, in Adoratione Imaginum, solùm adoretur prototypum, seu, illud, quod repræsentat Imago: non verò ipsamet imago. ibid.q.7  
 An licita sit adoratio, quam Catholici Summo Pontifici præbent. p.189.q.1  
 An, licite adoretur Summ. Pontifex, genuflexione, & osculatione pedum. ibid.q.3  
 An, sit licitum, adorare Summum Pontificem, pectoris tensione. ibid.q.3  
 An , licitum sit adorare Pontificem maximum, inclinatione capitis, quando eius nomen in Missa, canone, aut in aliis orationibus publicis, auditur. ibid.q.4  
 An , licitum sit, adorare Pontificem, osculatione manus. p.190.q.5  
 An Adoratio Pontificis, sub adoratione Duliae ornino comprehendatur. ibid.q.6  
 An, si aliquis Pontifex ( quod absit ) esse impius, aut scandalosus; esset adhuc modo supra dicto adorandus. ibid.q.7
- Agnus Dei.*
- An cereis formis, quas Agnos Dei, à figura Agni ipsis impressa appellamus, debeatur veneratio aut aliquis honos. p.184.n.38  
 Agnos Dei pingere, illuminare, seu miniare est prohibitum sub excommunicationis poena. ibid.  
quæst.39  
 An ut quis hanc excommunicationem incurrat debeat inficere, aut minio notare, seu illuminare ipsammet ceram benedictam immediatè. pagina 185.q.40  
 Agni Dei albi, & nullo minio confecti possunt licite vendi ratione materiæ, & laboris & impensarum in eis asportandis. ibid.q.41  
 An Agni Dei semel depicti, aut minio deaurati, possint etiam licite vendi ratione materiæ & laboris. ibid.q.41  
 An qui Agnos Dei pictos aut deauratos sine licentia Summi Pontificis, apud se retinent, Gregorianam excommunicationem incurvant. ibid.  
quæst.43  
 An prædicta excommunicatio Gregoriana, sit in vrbe Roma recepta. p.186.q.44  
 Et an in vrbe Romana sit utique recepta. ibidem.  
quæst.45  
 An huiusmodi Agnos Dei laicis tangere liceat. ib.  
quæst.46
- Amare , Amor.*
- An , sic speciale præceptum, de diligendo Deo, amore proprio, & vero positivo. p.73.q.2  
 Amoris præceptum, obligat ad amandum Deum super omnia; non solùm appretiatuè, sed etiam intensiuè. ibid.q.3  
 Non est peccatum, patrem, aut matrem, aut etiam creaturam intensiori amore, quam Deum, diligere. p.74.q.4  
 Quod dilectionis præceptum, obliget ad amorem supernaturem, & naturalem. p.75.q.10  
 An , amoris Dei præceptum, obliget per se, pro aliquo

## & Verborum.

- aliquo determinato tempore. p.76.q.11  
 An, præceptum obliget per se, ad eliciendum actum amoris, toties, quoties obligat quodcumque aliud præceptum. ibid.q.12  
 An, præceptum amoris Dei obliget, cum mortis articulus instat, & adest conscientia peccati mortalitatis. p.79.q.19  
 An, obliget eiusmodi amoris Dei præceptum, cum martyrium subeundum est. p.80.q.21  
 An, obliget per se, amoris Dei præceptum, quando graues odij Dei tentationes instant, & illis est periculum consentiendi. p.81.q.24  
 An, toties obligemur Dei amoris præcepto, quoties obligamur proximum ex charitate diligere. ibid. qu.27  
 An teneamur, vi dicti præcepti, amare aliquando proximum, actu amoris interno, procedente à Charitate Theologica. p.83.q.6  
 An teneamur, vi præcepti amoris proximi, amare illum ( aliquando saltem ) amore interno, distincto ab amore ipsius Dei. p.84.q.7  
 An teneamur, vi huius præcepti, amare aliquando inimicos, actu amoris interno. p.86.q.4  
 An, teneamur per se, aut vi huius amoris præcepti, salutare inimicum dum nobis occurrit, loquendo illi, caput aperiendo, &c. p.87.q.6

### Anima.

Animæ vel beatæ, aut in purgatorio, vel in inferno detentæ; viuentibus aliquando apparent. p.351.  
quæst.29

### Astrologia, Astrologus.

- Astronomia, & Astrologia inter se differunt. p.352.  
quæst.34  
 Duplex est Astrologia, altera naturalis & altera iudicaria. p.353.q.35  
 Astrologia iudicaria diuiditur in alias partes, quasi in species. ibid.q.36  
 Astrologia naturalis, coniociens effectus & illos prædicens ex motu astrorum, influentiis, & concurso planetarum licita est. ibid.q.37  
 Non peccat mortaliter Astrologus, qui prædictos effectus, plus certò prædicit, quam ex astris colligere potest. ibid.q.38  
 Non possunt Astrolegi naturales, ex astro cum aspetto, considerando natuitatis punctum, prædicere certò temperamentum, conditionem, inclinationem, & qualitatem viuentis. ibid.q.39  
 Potest Astrologus sine peccato mortali, liberos futuros euentus, conjecturaliter prædicere. ibidem.  
quæst.45  
 Potest Astrologus, ex astris, obseruatæ pueri natuitati, conjecturaliter prædicere, naturalem eius inclinationem futuram; ut propensionem ad iram. p.354.q.41  
 Astrologus Iudicarius, qui ex astris euentus pendentes ex libero hominis arbitrio, certò prænuntiat, mortalem superstitionem committit. ibid.q.42  
 Non est immunis à superstitione Astrologus qui ex astris duntaxat futuros euentus probabiliter, prædicit. p.355.q.43  
 An sit immunis à peccato Astrologus, qui futuros euentus prædictos probabiliter prædicit, qui que non ex astris, sed ex aliis circumstantiis personæ, nempe temperamento, qualitate, & conditione, illos probabiliter colligat futuros. ibid.q.44  
 An motus Sixiti V. contra Astrologiam iudicatur. R.P. Leand. in Decalogum.

- riam pro foro externo & iudiciali pro quo foro conscientia. p.356.q.48  
 Domini inquisitores possunt in foro externo procedere contra Astrologos iudicarios omnes. ib.49  
 An peccaret mortaliter, qui in suis actionibus regi se vellet per ea quæ ab Astrologis illi prædicuntur. p.357.q.51  
 An sit peccatum mortale, consulere Astrologos ad furtum occultum, Thesaurum, &c. inuenienda. ibid.q.52  
 An, esset mortale consulere Astrologos ad furtum occultum, aut aliud delictum sciendum; si esset certum tale delictum per Astra cognosci posse. ibid.q.53

### Attentio.

- Attentio interna quæ dicatur. p.242. q.4. Et quæ externa. ibid.  
 Quotuplex sit attentio interna necessaria ad implementum præceptum recitandi horas. ibid.q.5  
 An sufficiat attentio habitualis ad satisfaciendum præcepto recitandi horas. ibid.q.6  
 An attentio actualis sufficiat ad satisfaciendum præcepto recitandi horas, & hæc requiratur ab Ecclesia. p.242.q.7  
 Attentionem virtualem sufficit habere, & hæc sola ab Ecclesia requiritur in recitatione officij. ibid. quæst.8

- An sufficiat attendere ad Deum, vel ad rem, pro qua oratur, vt quis adimpleat præceptum recitandi officij. ibid.q.9  
 Attentio ad sensum litteralem verborum diuini officij sufficit, at non necessaria, vt quis eius præceptum adimpleat. p.243.q.10  
 Attentio, qua recitans attendit solum ad verba, sufficit ad implementum præceptum recitandi officium. ibid.q.11  
 An ad implementum præceptum recitandi officium, non solum sufficiat attentio ad Deum, verum etiæ ad alias pias meditationis, veluti ad gesta Christi aut eius passionem ad presentiam B. Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum. ibid.q.12  
 An attentio debeat esse formalis, expressa, & explicita. ibid.q.13  
 An qui occupatur in rebus externis, quæ ex natura sua aduersantur attentioni officij, & sunt incompatible cum illa, peccet mortaliter. pag.244.  
quæst.18

### Auditor.

- An Auditores Rotæ Romanæ consequi possint fructus, necnon & distributiones suarum præbendarum, etiæ absentes. p.315.q.135

### Azima.

- An azimis Iudeorum vesci licitum sit Christianis. p.51.q.26  
 An sit peccatum lethale vesci Iudeorum azimis. ib. dub.1

### B

### Beatus, Beatificatus.

- D**atur in Beatis Fidei actus; & fortè habitus. pag.4.qu.7  
 An, in beatis maneat actus, vel habitus spei stricte sumptæ. p.59.q.7  
 Licet inuocare in publicis litaniis Beatum illum eo die, de quo diei missa & officium est licitum (iux-

# Index Rerum,

- ta bullam suæ Beatificationis) non vero aliis diebus. p. 163. q. 11
- An , quando Pontifex concedit sacerdotibus certæ Religionis, vt certo die dicant missam de aliquo sancto Beatificato, possint in eodem dicere officium de communi Pontificum de dicto Beato. ib. q. 12
- An si concedat Pontifex sacerdotibus alicuius ordinis, vt in die obitus Sancti Beatificati dicant missam & officium de illo , possint id facere per totam octauam. ibid. q. 13
- Quando conceditur facultas certis personis celebrandi missam de aliquo Beato, & expressè non negatur aliis , non possunt tunc omnes sacerdotes sæculares , & Regulares dicere missam de beato in Ecclesia assignata in diplomate. p. 164. q. 15
- Non possunt alij sacerdotes quibus non est concessa facultas dicendi missam de aliquo Beatificato, illam dicere, casu quo id ab illis petant sacerdotes illi quibus concessa est facultas dicendi missam de dicto Beatificato. p. 165. q. 16
- Quando facultas conceditur celebrandi missam de aliquo Beato in aliqua determinata Ecclesia aliquibus sacerdotibus, non licet adhuc celebrare in aliis. ibid. q. 17
- Et an in casu proposito sacerdos celebrans in aliis Ecclesiis peccaret mortaliter. ibid. q. 18
- Si in bulla Beatificationis concederetur vt tali die, in tali Ecclesia , liceret celebrare missam de tali Beato, possunt omnes sacerdotes , tam sæculares quam Regulares, ibi celebrare. ibid. q. 19
- An, aliqua alia specialia signa cultus publici exhiberi possint Beatis , quorum non sit mentio in decreto Beatificationis. p. 167. q. 23
- An, liceat Episcopo, instituere diem festum alicuius Sancti Beati. ibid. q. 24
- An, in Beatificatione alicuius servi Dei , possit Pontifex errare. p. 168. q. 26
- An sit necessarium , vt Beatificatio præcedat Canonizationem. p. 169. q. 29
- An, liceat in honorem viri defuncti nondum Beatificati , sacellum exigere, seu altare illi dedicare. p. 170. q. 5
- An liceat, imaginem hominis nondum Beatificati, cum radiis luminis pingere ; & adorandam in templo proponere. p. 171. q. 6
- An , liceat talis hominis non Beatificati imaginem radiis depingere ; si non in publico, sed in secreto cubiculi , habeatur. ibid. q. 7
- An in Altari domus priuatæ, liceat, imaginem alicuius nondum Beatificati teneare, si sola in eo sit, & cum lampade. p. 173. q. 17
- An possit Civitas aliqua , saltem cum consensu sui Episcopi, festum diem instituere in honorem alicuius, qui nec dum sit Beatificatus. ibid. q. 18
- An possit quis in memoriam defuncti non Beatificati, ieiunare in vigilia eiusdem & votum priuatum ei offerre. p. 174. q. 22
- An sit licitum , invocare dictos non Beatificatos viros , in litanis, quæ, vel Religiosi, vel Moniales dicunt in eorum Ecclesiis. p. 175. q. 29
- An , in die aniversarij obitus non Canonizatorum , aut Beatificatorum , liceat Missam de Sanctiss. Trinitate , vel de Dei Genitrice Maria , aut de omnibus Sanctis , in eorum memoriam solemniter cantare. ibid. q. 50
- Beneficiaria.*
- Quid, & Quotuplex sit Beneficiaria. p. 95. q. 1
- Beneficium, Beneficiarius.*
- An Beneficiati curati; necnon Canonici & Dignitates Ecclesiæ Cathedralis, teneantur ad emitten-
- dam fidei professionem. p. 57. q. 1
- An, Beneficiarijs arctius obligetur ad dandam eleemosynam ex fructibus sui beneficij; quæ laicus ex bonis sui patrimonij. p. 119. q. 45
- An , etiamsi Clericus Beneficiarius, bona patrimonialia, aut aliquos fructus eorum, in Eleemosynas, aut alia pia opera consumpsit ; possit tantundem de redditibus beneficij accipere , & disponere de illis, sicut de bonis patrimonialibus. p. 120. q. 50
- An, si Beneficiarius, parec vivendo, minus consumat de fructibus sui beneficij , quam consumere posset, in suam congruam sustentationem ; possit de huiusmodi fructibus sic reseruatis , disponere, ac de bonis patrimonialibus. ibid. q. 51
- An Beneficiarius , cum portione suæ congruae sustentationis, possit computare totam , quo amplius est dignus , vt id expendere possit , in quæ voluerit. ibid. q. 52
- An Beneficiarij teneantur eam partem fructuum beneficiorum, quæ non est congruae sustentationi necessaria, sed superflua, in Eleemosynas , aut in alia opera pietatis, sub mortali expendere. ib. q. 53
- An, solùm iure positivo Ecclesiastico, teneantur sub mortali Beneficiarij, quæ sibi supersunt congruae sustentationi, in pauperes, piosque viis insumere. ibid. q. 54
- An, immunis à mortali maneat Beneficiarius, qui ex fructibus beneficij , suæ sustentationi superfluis, aliquid leuis materiæ , in vanos usus expendit. pag. 121. quæst. 55
- An, si Beneficiarius , tertiam, aut quartam partem beneficij fructuum, congruae sustentationi superfluentium, in vanos usus expendat peccet mortaliter. ibid. q. 56
- An, possit assignari certa, ac determinata quantitas, pro congrua cuiusque Beneficiati sustentatione. ibid. q. 57
- An , quod Beneficiarius est nobilior , & doctior , eo plus illi pro congrua sustentatione, ex fructibus beneficij, sit actionandum. ibid. q. 58
- An deinde, pro qualitate beneficij , & quantitate reddituum , plus pro competenti sustentatione, Beneficiato est assignandum. ibid. q. 59
- An, nomine congruae sustentationis , quam Beneficiarij , ex fructibus Ecclesiæ sibi possunt deducere ; veniant necessaria ad sui status, & familiæ, honorabilem sustentationem. p. 122. q. 60
- An, nomine congruae sustentationis , veniant etiam necessaria ad exhibenda aliqua moderata cōiuia amicis, & cōsanguineis, ipsius Beneficiati. ib. q. 61
- An, licitum sit Beneficiario, plus , ex fructibus beneficij , remunerare , quam valet donum prius acceptum. ibid. q. 64
- An, Beneficiati integrum dominium acquirant suorum Ecclesiasticorum reddituum , & præcipue illorum , qui suam congruam sustentationem exceedunt. p. 125. q. 75
- An, ille , cui datum est beneficium aliquod in commendam , teneatur dare in usus pios , quod suæ sustentationi supereat. p. 127. q. 79
- An, Beneficiarij, seu Canonici, teneantur, superfluum distributionum, quæ illis dantur , ob præficiam in choro, vel alio ministerio, in pauperes, aut alios pios usus expendere. ib. q. 80
- An ad minus sit licitum, imagines hominum virtute insignium , nondum tamen beatificatorum ; sine radiis disponere , tenere in domibus , ibique eas venerari. p. 171. q. 8
- Qui habet beneficium Ecclesiasticum, vel simplex vel curatum; tenetur recitare horas canon. q. 208. q. 51

Qui

## & Verborum.

- Qui habet beneficium integrè in commendam , si interim detur alicui ; tenetur recitare horas. pagina 209.q.53
- Qui habet beneficium manuale seu regulare ; debet Horas Canonicas recitare. ibid.q.54
- Qui obtinet aliquid beneficium, propter temporale ministerium v.g. quia docet Grammaticam, vel Theologiam, vel pulsat organa, &c. tenetur ad recitandas horas. ibid.q.55
- Coadiutor Beneficiarij, non tenetur per soluere Horas Canonicas. p.214.q.77
- Teneretur ad horas coadiutor Beneficiarij, aut Canoniciatus, si expressè ad hanc obligationem subeundam coarctetur ex indulto Pontificis, aut ex pacto cum proprietario. ibid.q.79
- An Beneficiarij vel Canonici coadiutor, teneatur ad minus, dicere officium paruum B. Virginis Mariae tanquam pensionarius. ibid.q.80
- An, Beneficiarius, qui solum titulum beneficij habet, sine fructibus omnino; teneatur ad Horas. Canonicas. ibid.q.81
- Non eximitur ab obligatione recitandi horas, Beneficiarius qui sua voluntate, aut culpa, nullos percipit fructus beneficij. p.215.q.82
- Beneficiarius, qui fructus nullos percipit, quia, ex causa iusta non residet, & solum fructus dantur residentibus, non tenetur ad horas. ibid.q.83
- Beneficiarius, qui sponte omnes beneficij fructus cedit patri, aut patruo, aut suo creditori, &c. teneatur ad horas. ibid.q.84
- Beneficiarius, qui nullos fructus beneficij recipit, eo quod sit excommunicatus; tenetur ad horas recitandas. ibid.q.85
- Teneretur ad horas Beneficiarius, qui non percipit beneficij fructus, eo quod sit irregularis, aut suspensus. p.216.q.86
- Si quis irregularitatem, aut depositionem, vel alio quocummodo, amitteret ex toto beneficium; non teneretur adhuc ad recitandum. ibid.q.87
- An, si quis recipiat beneficium iniuste, vel nullite; (v.g.) per violentiam per simoniam, vel existens irregularis, vel non habens legitimam aetatem, &c. teneatur ad horas. ibid.q.88
- An, Beneficiarius, qui ob delictum aliquod, aut eriā iustam causam, damnatur a iudice, ut non acquirat fructus beneficij ad tempus, v.g. per unum annum; teneatur illo anno ad recitandas horas. ibid..q.89
- Beneficiarius, qui captâ possessione, fructus beneficij pro aliquo tempore, non capit, petat tamen postea capturus, tenetur horas recitare. ibid. q.90
- Beneficiarius, qui primo anno, ex statuto vel consuetudine, non percipit grossam beneficij, sed si excitet in Choro turbationes quotidianas; teneatur ad officium. p.217.q.91
- Qui ex statuto aut consuetudine nihil beneficiario concedit primo anno, ob seruitum impensum, sed omnes illius anni fructus reseruantur ei post post mortem, expendendi in eius favorem; teneatur ad horas. ibid.q.92
- An, teneatur Beneficiarius recitare horas, quia in eius Ecclesiâ viget mos, quo cauetur ut primo anno nullos fructus, nec distributiones capiat, neque post mortem illi reseruentur, sed distribuantur inter aliquos Beneficiarios. ibid.q.93
- An, teneatur recitare Beneficiarius, in primo anno, quando ex recepta consuetudine, fructus illius applicantur alicui operi pio; ut fabricæ Ecclesie, vel Hospitali, aut pauperibus, &c. ibid.q.94
- An, si per vim, fraudem, aut aliam iniustam viam,

- impediatur Beneficiarius à consecutione fructuum; teneatur recitare. p.218.q.95
- An teneatur recitare dictus Beneficiarius, si ablatio fructuum non sit perpetua, sed pro aliquo tempore; v.g. pro uno, aut duobus annis, sine spe tamen fructuum recuperationis. ibid.q.96
